§. II.

Quomodo sit argumentativa circa sua principia.

III. DIco secundo. Theologia non argumentatur ad sua principia probanda; ita D. Thom. hic: & probat: Omnis scientia supponit sua principia, vel per se nota, vel in alia superiori scientia manifestata; sed Theologia est scientia; ergo supponit articulos fidei, qui sunt ejus principia jam nota; ergo ea non probat.

IV. Dices. Generalis mortuorum resurrectio est articulus fidei, & proinde principium Theologiæ; sed Apostolus 1. *Cor.* 15. probat futuram generalem resurrectionem, quia Christus resurrexit; ergo &c.

Respondeo, Apostolum ibi argumentari contra eos, qui negabant resurrectionem mortuorum, atque ideo non agnoscebant illam pro principio Theologiæ, quimvis non negarent Christum Dominum resurrexisse: & propterea ex Resurrectione Christi recte colligit resurrectionem generalem omnium, argumento quidem non rigorose demonstrativo, sed vel ab actu ad potentiam, quasi diceret: Christus de facto resurrexit; ergo possibilis est resurrectio. Vel a causa exemplari, & effectiva, ut docet S. Thom. in *cap. 16. 1. ad Corinth. lect.* 2. & 3. *part. quæst.* 56. Vel per locum a consequente, perinde, ac si diceret: Si resurrectio mortuorum non est; neque Christus resurrexit; atqui falsum est consequens; Christus enim resurrexit, ut vos non negatis; ergo falsum est anteced. nam sublato consequente tollitur anteceedens; non enim dari potest consequens falsum, & antecedens verum in bona consequentia. Secundo probat ex inconvenientibus, quæ sequuntur, si Christus non resurrexit. Videatur August. *lib. de doctr. Christiana cap.* 31. & 32.

V. Ut ergo intelligatur, quomodo Theologus non possit probare sua principia, & quomodo possit. Sciendum primo, ea non posse probare a priori, neque a posteriori. Esto enim cæteræ scientiæ naturales probare possint sua principia (saltem a posteriori) id contingit, quia talia principia, utpote naturalia, habent in natura effectus sibi proportionatos, cum quibus connectuntur, & qui assumi possunt ut medium ad ea probanda: atqui principia Theologiæ, utpote supernaturalia, nempe mysteria gratiæ, utpote excedentia humanæ mentis, & rationis capacitatem, nullum in ratione naturali habent medium sibi connexum, quo ostendi possint, sive a priori, sive a posteriori; ergo &c. Immo nedum probari nequit eorum existentia, sed nec possibilitas: omne enim medium ostendens rei possibilitatem, debet esse rei intrinsecum, vel cum intrinsecis rei connexum; nihil autem intrinsece naturale potest esse intrinsecum, aut connexum cum intrinsecis rei in se supernaturalis.

VI. Sciendum tamen secundo, quod licet Theologus argumentari non possit, ut probet sua principia esse positive possibilia, potest tamen primo ea explicare, seu ab aliquo simili manifestare; vel ab inconvenienti ostendere, quod fecit Paulus laudato loco. Potest secundo contra impugnantes tueri: & quidem sic, ut si aliqua admittant esse vera, ex conceffis probet reliqua, sicut Paulus ex Christi resurrectione, quam concedebant, probat generalem omnium resurrectionem. Sic ex veteri testamento, quod Judæi concedunt, probat Incarnationem, & adventum Messiæ, quem ipsi negant; Et veritatem veteris Testamenti, quam negant Manichæi, probat ex novo, quod concedunt, in quo vetus approbatur, & Catholicus probat realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistia, quam negat Calvinista, ex novo Testamento, quod admittit. Si vero nullum omnino principium admittat, ut Gentilis, potest ostendere, mysteria fidei non esse impossibilia, solvendo omnia argumenta, quæ in contrarium affert. Pro quo

VII. Sciendum tertio, duplicem esse probationem, vel positivam, vel negativam. Probatio positiva fit per assumptum aliquod medium, quo ostenditur necessaria connexio prædicati cum subjecto; & hoc modo jam dictum est, principia Theologica probari non posse. Probatio negativa est, qua evincitur, nullam esse repugnantiam in eo, quod affirmatur; & hic modus probandi, seu procedendi, est ostendere, non quidem positive, mysteria fidei esse possibilia, sed solum negative, idest ea non esse impossibilia.

VIII. An autem Theologus hac via procedens dici possit evidenter ostendere, argumenta contra fidem nullius esse momenti, & consequenter ostendere evidenter, saltem evidentia negativa, mysteria fidei non esse impossibilia, noto, argumentum Gentilis, vel Hæretici contra fidem posse esse vitiosum, vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ. Si sit vitiosum ex parte formæ, certum est, quod potest evidenter illud solvi; bonus enim Theologus, qui leges recte discurrendi novit, evidenter ostendere potest, in quo peccetur contra formam rectæ argumentationis.

Difficultas est, an evidenter etiam solvi possint argumenta, quæ sunt vitiosa ratione materiæ, idest quando antecedens falsum est, vel aliqua ejus pars. Videtur enim quod non. Non enim potest evidenter ostendi falsitas ejus, quod assumitur, nisi ostendatur evidenter veritas opposita, quod hic fieri non potest, quia talis veritas ad fidem pertinet.

IX. Hoc tamen non obstante, responsio affirmativa omnino tenenda est, cum D. Thom. *in fine corporis hujus art.* 8. ubi, postquam docuit modum procedendi contra eum, qui nihil credit eorum, quæ revelata sunt, nimirum solvendo rationes, si quas induceit contra fidem, subdit: *Cum enim fides infallibili veritati nitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium; manifestum est, probationes, quæ inducuntur contra fidem, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.*

Quod confirmatur. Argumentum peccans ex parte materiæ, non solum tunc solvitur evidenter, quando is, qui respondet, ostendit, ex ipsa rei natura falsum esse aliquam propositionem quæ assumitur, ut vera; sed etiam quando aliunde sufficientem reddit rationem, cur prudenter sibi persuadere possit, & sibi de facto persuadeat, eam esse falsam. Quapropter ad solvendum argumentum, quod contra veritatem fidei objicitur assumendo quidpiam falsum, non est necesse, quod evidenter ostendatur falsitas propositionis assumptæ, sicut & veritas propositionis oppositæ; sed satis est, bonam reddere rationem, cur non videatur illa propositio esse recipienda tamquam vera; quibus respondetur argumento in contrarium adducto. Ita Sylvius ad hunc *art. quæstio* 2. quæ conferenda sunt cum iis, quæ tradunt Bannez ad 1. *part. qu.* 32. *art.* 1. *dub.* 2. *concl.* 1. & Cabrera 3. *p. qu.* 1. *art.* 1.

X. Potest ultimo Theologus evidenter probare, principia fidei esse credibilia, non solum ostendendo, ea non involvere contradictionem, solvendo omnia argumenta, omnesque contradictiones, quæ contra ea objici possunt, ut dictum est, & Patres, sacrique Doctores præstitere; Sed etiam positive, adducendo motiva, quibus evidenter appareant credibilia: hujusmodi sunt miracula in confirmationem fidei facta; modus, quo Ecclesia & fides propagata est; Universalis consensus doctrinæ, & morum; sanctitas, & alia, de quibus in tractatu de fide, si Deus annuerit, fuse loquemur.

XI. Neque hinc inferas: si mysteria fidei positive probari possunt, & evidenter, esse credibilia: ergo & possibilia; nihil enim est credibile, nisi verum, nihil autem est verum, nisi, vel existat, vel sit possibile, quia impossibile, neque est ens, neque proinde verum.

Nego enim consequentiam; licet enim quod est credibile sit etiam possibile, non tamen hinc sequitur, si aliquid probatur evidenter credibile, probari etiam positive, esse evidenter possibile. Nam ad probandam positive & evidenter credibilitatem sufficiunt media extrinseca rei creditæ, puta auctoritas dicentis, miracula, modus mirabilis propagationis fidei, numerus sine numero eorum, qui pro ea vitam dederunt &c. quæ omnia præsto sunt. At ad probandam rei possibilitatem positive & evidenter, requiritur medium rei intrinsecum, quo probetur, prædicatum posse convenire subjecto; hoc autem medium non adest in natura.

XII. Neque dicas. Saltem probari potest, mysteria fidei non esse impossibilia; ergo probari potest, esse possibilia; quia inter esse impossibile, & possibile non datur medium.

Nego enim similiter consequentiam, & ejus probationem: quia, ut monet Philosophus *lib. de interpret. cap.* 3. possibile, & impossibile non sunt contradictoria, quia utrumque est affirmativum; sed impossibile, & non impossibile: unde ex quo probetur mysteria fidei non esse non impossibilia, solum concludi potest, ea esse impossibilia. Addo, quod esto inter possibile, & impossibile nihil mediet in re, tamen inter rem posse demonstrari positive possibilem, & posse demonstrari positive impossibilem, datur medium, scilicet, nec posse demonstrari positive possibilem, nec posse demonstrari positive impossibilem, dum non apparent rationes urgentes, quibus possibilitas rei, vel impossibilitas evincatur, sed tantum non impossibilitas.

QUÆSTIO III.

De locis Theologicis.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Locus Theologicus.

§. I.

Resolutio dubii.

I. PRimus, qui hac de re effuso stilo tractaverit, omnium consensu, fuit celeberrimus vir, ac omnigena eruditione præditus Melchior Canus Ordinis Prædicatorum Episcopus Canariensis in suo vere aureo Opere, quod inscripsit *De Locis Theologicis*, atque in duodecim libros distribuit. Si pressius hanc materiam prosequi in animo esset, diutius sane in ea nobis immorari oporteret. Verum, quia ad alia plurima transeundum nobis est, ut Theologicum cursum perficiamus, inter quæ multa ad hanc materiam spectantia tractanda erunt; Ideo hic ea solum, quæ ad instruendum tyronem de locorum Theologicorum notitia necessaria judicabimus, stricto calamo expendemus.

Quemadmodum ergo (inquit laudatus Canus *lib.* 1. *cap. ult.*) *Aristoteles in Topicis proposuit communes locos, quasi argumentorum sedes, & notas, ex quibus omnis argumentatio ad omnem disputationem inveniretur; sic & nos peculiares quosdam Theologiæ locos proponimus, tamquam domicilia omnium argumentorum Theologicorum, ex quibus Theologi omnes suas argumentationes, sive ad confirmandum, sive ad refellendum inveniant.* Hæc Canus. Ex quibus habes Loci Theologici definitionem, nempe quod sit: Domicilium, & sedes, ex qua Theologus omnes suas argumentationes, sive ad confirmandas Theologicas veritates, sive ad refellenda contraria depromere potest.

II. Circa locorum Theologicorum numerum: alii plures, alii pauciores recensent. Canus usque ad decem loco citato enumerat.

1. Est auctoritas sacræ Scripturæ, quæ Libris Canonicis continetur.

2. Auctoritas traditionum Christi & Apostolorum, quæ quonium scriptæ non sunt, sed de aure in aurem ad nos pervenerunt, vivæ vocis oracula rectissime dixeris.

3. Auctoritas Ecclesiæ Casholicæ.

4. Auctoritas Conciliorum, præsertim generallum, in quibus Ecclesiæ Catholicæ auctoritas residet.

5. Auctoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ divino privilegio, & est, & vocatur Apostolica.

6. Auctoritas Sanctorum veterum.

7. Auctoritas Theologorum Scholasticorum, quibus adjungi possunt Juris Pontificij periti: nam Juris hujus doctrina, quasi ex altera parte Scholasticæ Theologiæ respondet.

8. Ratio naturalis, quæ per omnes scientias naturali lumine inventas latissime patet.

9. Auctoritas Philosophorum, qui naturam ducem sequuntur, in quibus sunt etiam Cæsarei Juris Consulti, qui veram & ipsi Philosophiam profitentur.

10. Et postremus est humanæ auctoritas historiæ, sive per auctores fide dignos scriptæ, sive de gente in gentem traditæ, non superstitiose, atque aniliter, sed gravi, constantique ratione. Ita Canus.

III. Sylvius tamen in hunc *art.* 8. *quæst.* 2. enumerat solos octo. Sacram Scripturam, traditionem, auctoritatem Ecclesiæ, decreta Pontificum, & Conciliorum, auctoritatem Patrum, & Scholasticorum, & rationem naturalem; omittens auctoritatem Philosophorum, & humanæ historiæ. S. Thomas hic ad secundum enumerat solos tres, nimirum; auctoritatem Scripturæ, Doctorum, & Philosophorum. Verum, ut bene notat Sylvius loco laudato, vel non fuit S. Thomæ propositum, recensere omnes locos, ex quibus Theologus potest argumenta desumere, sed solum ostendere Theologiam esse argumentativam, eo quod aliquos habeat locos. Vel sub illis tribus, quos exprimit alios implicite comprehendit, ut sub auctoritate Scripturæ auctoritatem traditionum, Conciliorum, Ecclesiæ, & Pontificum; dum enim in causa fidei decernunt; semper loquuntur ex Scriptura, seu ex Verbo Dei. Sub auctoritate Doctorum, auctoritatem Patrum, Scholasticorum, & Juris Pontificii interpretum; Sub auctoritate Philosophorum, auctoritatem humanæ historiæ scriptæ, vel traditæ, & naturalis rationis. Cum ergo in his, licet paucioribus, alii contineantur, a Cano expressius distincti, ejusdem enumeratio, utpote magis distincta, sustinenda est. Per omnes enim præfatos locos velut apis volitat, & spatiatur Theologus, ut inde mel veritatis per discursum efformet, aliter tamen, & aliter.

§. II.

An ex omnibus præfatis locis æqualiter argumentari possit Theologus.

IV. OBservo, quod ubi in aliis scientiis naturalibus principem locum obtinet ratio, locus vero ab auctoritate est infirmissimus, in hac ex opposito primum locum obtinet auctoritas, postremum ratio naturalis. Licet enim locus ab auctoritate, quæ fundatur super ratione humana, sit infirmissimus, locus tamen ab auctoritate, quæ fundatur super revelatione Divina, est efficacissimus. Cum ergo Theologia, quæ, ut dictum est, nititur principiis revelatis Fide divina, procedit ex Auactoritate Divina, procedit ex loco sibi proprio ad directe probandas suas conclusiones; cum vero procedit ex ratione naturali, procedit ex loco sibi extraneo; nec ratione utitur ad directe suas conclusiones probandas, sed ad manifestanda alia, quæ in hac doctrina traduntur; vel ad ostendendum ea, quæ ipsa tradit, rationi naturali non repugnare. Ut autem hæc, quæ indicat D. Thom. hoc *art.* 8. *ad* 2. pressius explicentur,

V. Observandum est, quod licet Theologus ex omnibus, & singulis præfatis locis possit sumere argumenta, non tamen ex omnibus æque efficaciter argumentatur. Nam ex aliquibus argumenta sumit ad concludendum efficaciter, & necessarie; ex aliis vero solum probabiliter: & propterea primi vocantur loci intrinseci, & proprii Theologiæ, alii vero extrinseci, seu extranei, & quasi in famulatum ejus ab externo advenientes.

VI. Locos ergo Theologiæ proprios, septem priores esse, censet Canus, nempe auctoritatem Scripturæ, Traditionis, Ecclesiæ Catholicæ, Conciliorum Generalium, Pontificum Romanorum, omnium Sanctorum Patrum, & omnium Scholasticorum in una aliqua re fidem spectante concorditer, ac perpetuo consentientium. Alii solos tres assignant, ut proprios, & domesticos, nempe Scripturam sacram Veteri, & Novo Testamento exaratam, Traditionem Christi, & Apostolorum, ad quam revocant communem Patrum, & Doctorum sensum in loquendo, & docendo, & fidelium in credendo; & auctoritatem Ecclesiæ, quæ Conciliorum, & Summorum Pontificum decreta complectitur.

VII. Loci vero Theologici, quasi extranei, & solum probabiliter concludentes, sunt auctoritas unius, vel plurium Patrum, aut Scholasticorum, non tamen omnium, nec perpetuam, nec ex verbo Dei, sed ex humano sensu doctrinam loquentium, auctoritas Philosophorum, historiæ humanæ, & ratio naturalis.

DUBIUM II.

De Sacra Scriptura usu in argumentis Theologicis.

§. I.

Quid sit Sacra Scriptura, & quotuplex.

NON agam hic omnes quæstiones, de sacra Scriptura agitari solitas; has enim Lectoribus sacræ Scripturæ tractandas relinquam; sed eas solas, quæ Theologo inservire possunt, ut ex Scriptura Divina firmum trahere possit argumentum.

I. Scriptura sacra nil aliud est, quam Verbum Dei scriptum, seu epistola Dei ad homines. Sic D. Chrysost. *hom.* 3. *in Genesim* ait, Deum ab initio per se ipsum hominibus locutum fuisse: *sic enim ad Adam venit, sic Cain increpavit, sic cum Noe locutus, sic apud Abraham hospitatus est.* Posterioribus tamen temporibus, quia homines malitia sua Dei familiaritate sese indignos reddiderant, nec se totum voleris a genere humano avertere, immo suam amicitiam renovare, *quasi longe absentibus litteras misit, conciliaturus sibi universum hominum naturam.* Et S. August. *Conc.* 2. *in Ps.* 90. *De illa*, inquit) *Civitate, unde peregrinamur, littera nobis venerunt. Ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut bene vivamus.* Denique Sanctas Gregorius Magnus *lib.* 5. *epist.* 31. *al.* 40. ad Theodorum Medicum. *Imperator*, inquit, *Cæli Dominus, Hominum, & Angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit, & tu gloriose fili easdem epistolas ardenter legere negligis? Quid est autem sacra Scriptura, nisi quædam epistola Omnipotentis Dei ad Creaturam suam?*

II. Triplici autem via scribere homini Deus consuevit. Primo via naturæ, hoc est per universas creaturas scripsit naturalem illam epistolam, & scripturam, seu potius potentissimum illud, & ubique diffusum librum naturæ, in quo, Apostolo teste *Rom. cap.* 1. *vers.* 20. *Invisibilia ipsius a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* In quo *Psalm.* 95. *vers.* 1. *Cantate Domino omnis terra.* In quo *Psalm.* 18. *v.* 1. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Et *Psalm.* 148. *laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes Stellæ, & lumen, laudate eum Cæli Cælorum, & aquæ omnes &c.* Hic est ille liber, de quo S. Antonius Anachoretarum parens rogatus a Gentili Philosopho, quomodo in Eremo sine libris ageret, respondit apud Socratem *lib.* 3. *hist. c.* 13. *Meus liber, o Philosophe, est natura rerum a Deo conditarum, in qua quotiescumque sic animo meo visum, legere possum, quæ Deus dicit.*

Secundo via Prophetiæ, quomodo scripsit per Prophetas in veteri Testamento, & per Apostolos, aliosque sacros Scriptores in novo. Et hoc dupliciter. Primo quasi per seipsum scribens digito suo, quo pacto scripsit in duabus tabulis legem Decalogi in veteri Testamento, juxta illud *cap.* 31. *v.* 18. *Dedisque Dominus Moysi, completis hujusmodi sermonibus in Monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.* In novo tamen Testamento scripsit per seipsum Christus Dominus legem suam, non in tabulis lapideis, sed in corde Ecclesiæ, non atramento, & materiali calamo, sed digito, idest spiritu Dei, juxta illud Pauli ad *Hebræos c.* 8. *v.* 10. *Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum superscribam eas.* Quod promisit Christus *Joann.* 14. *v.* 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritus veritatis. Et v.* 26. *ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Hæc autem Scriptura Divina in corde Ecclesiæ Spiritu Dei scripta, nil aliud est, quam communis, ac perpetuus Ecclesiæ consensus, & concors omnium fidelium doctrina per continuas successiones ad nos usque recepta, juxta illud Pauli 2. *Cor.* 3. *v.* 3. *Epistola estis Christi ministrata a nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*

III. Secundo autem modo scribit Deus, suis Amanuensibus sacris dictando, vel verba, vel saltem sensum. Hoc modo scripsit totam Scripturam veterem Legis, & Prophetarum, juxta illud *Psalm.* 44. *v.* 2. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Et 2. *Reg. cap.* 23. *v.* 2. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam;* Et illud S. Petri *epist.* 2. *cap.* 1. *v.* 21. *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* Ita in novo Testamento per Evangelistas scripsit Evangelia, per Apostolos canonicas epistolas.

IV. Afferri solet tertius modus, nimirum, quo Deus, nec scribit per se ipsum, nec alteri dictat, sed alteri committit scribere, & dictare, ei assistendo, & confirmando quod scribit. Ita se gessit in veteri Testamento, dum Summos Pontifices in Cathedra Mosaica sedentes, delegavit ad decreta, & sententias ferendas, eas suo quasi sigillo approbans, & confirmans, ut *Deuter.* 19. *v.* 12. Ita etiam in nova Lege se gerit erga suos in Terris Vicarios Romanos Pontifices, erga Œcumenica Concilia, erga Ecclesiam Catholicam, cui commisit Canones edere, & decreta suo quasi sigillo approbans, & muniens, ait, *Luca* 10. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me:* Et *Matth.* 18. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Verum, quia hoc tertio modo revera Deus, nec scribit per se, nec per alium, sed potius scripta ab homine regit, & approbat: ideo nomine sacræ Scripturæ solum venit Scriptura primo, & secundo modo, hoc est a Deo, vel scribente, vel dictante perfecta.

V. Hanc sacram & vere divinam Scripturam dari, eamque esse nostram, Propheticam videlicet, & Apostolicam nobis ab Ecclesia propositam; talesque esse omnes ejus libros,

in Tri-

in Tridentino Canone recensitos *sess.* 4. Decreto de Scripturis Canonicis, nimirum XL. veteris, & XXVII. novi Testamenti, nec plures, nec pauciores, invicte sustinemus; & contra hæreticos, aliquos eorum expungere conantes, alibi defensamus; Hoc maxime ratiocinio nixi, quod determinare, quinam libri sint canonici, & divini, non ad quemcumque privatum pertinet, sed totius Ecclesiæ Catholicæ officium est, quam (ut dicebamus) Deus suo spiritu regit, cujusque decreta approbat tamquam sua; sed Ecclesia in Tridentino Œcumenice congregata omnes præfatos tum ex novo Testimento Libros, ut canonicos, divinosque approbavit; ergo omnes habendi sunt ut canonici. Hoc ad præsens intentum sit satis. Alibi enim de hac re fusius, si Deus annuerit, dicemus, omnesque libros tum generaliter, tum singillatim vindicabimus.

VI. Ex omnibus ergo præfatis libris poterit Theologus firmissima argumenta, pro suis veritatibus astruendis, deducere; hoc tamen prudentiali monito instructus, ut si res illi sit cum hæretico negante auctoritatem alicujus libri esse divinam, confugiat ad textum ex alio libro, quem ille ut divinum admittat, ne a quæstione, quam cum eo agit, cogatur divertere ad aliam, nimirum ad probandam auctoritatem illius libri. Quare si ad probandum, pium esse & salutare offerre Sacrificium pro fidelibus defunctis, asserret factum Judæ Machabæi, quod narratur 2. *Machab. cap.* 12. *v.* 43. si ageret contra Lutheranum, vel Calvinistam, quamvis absolute efficaciter procederet, contra illum tamen parum, vel nihil efficeret, qui statim negaret, auctoritatem illius libri esse divinam, & sic aliam litem cum eo contraheret interminabilem, nimirum ut probaret, librum illum esse auctoritatis vere divinæ.

Pro uberiori tamen hujus notitia duo supersunt. Primum cum sacra Scriptura plures sensus habeat, ut docet D. Thom. hic *art.* 9. & 10. videndum est, an ex quolibet Scripturæ sensu possit Theologus eruere firmum argumentum. Secundum cum ejusdem plures dentur editiones, & versiones, ex quanam debeat procedere, ut firme procedat. Quod in duobus §§. sequentibus præstare conabimur.

§. II.

An ex quolibet Scripturæ sensu Theologus possit argumentari.

I. SCiendum hic, per divinæ Scripturæ sensum nihil aliud communiter intelligi, quam id, quod Spiritus Sanctus divinæ Scripturæ auctor intendit per Scripturam nobis significare: dixi per Scripturam, & non per Scripturæ verba, quia (ut dicemus) in Scriptura ex intento Spiritus Sancti non solum significant verba, sed aliquando etiam res.

II. Duplex ergo in sui prima divisione communiter assignatur sacræ Scripturæ sensus, nimirum litteralis, & spiritualis, sive mysticus. Cujus rationem reddit S. Thom. hic *quæst.* 1. *art.* 10. *Auctor enim sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas: Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsæ res significatæ per voces, etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel litteralis. Illa vero significatio, qua res significatæ per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, quia super litteralem fundatur, & eum supponit.* Hæc D. Thomas.

III. Hic autem sensus spiritualis tripartim dividitur, nempe in Allegoricum, Tropologicum, seu moralem; & Anagogicum. Allegoricus est, cum res gesta in veteri Testamento aliquid significat gerendum in novo, v. g. exaltatio serpentis in deserto a Moyse, quæ designabat Christum exaltandum in Cruce. Tropologicus, seu Moralis est, cum ea, quæ in Christo sunt facta, vel in iis, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus, & ad componendos nostros mores diriguntur. Anagogicus, seu sursum evehens est, cum res in Scriptura significat aliquid spectans ad æternam Gloriam; ut v. g. introitus Israelitici Populi in terram promissam, significat introitum Fidelis Populi ad Æternam Gloriam. Hi autem sensus hac unica voce *Jerusalem* manifesti sunt; ex D. Hieron. *in cap.* 16. *Ezech.* Hæc enim vox ad litteram significat Civitatem Judææ, Civitas autem hæc significat allegorice Ecclesiam; tropologice Animam Justi; anagogice cælestem Patriam. Hujus tripticis sensus rationem dat D. Th. hic, quia ex Apostolo *Hebr.* 7. *Lex vetus figura est novæ Legis, & ipsa nova Lex; ut dicit Dion. Eccles. Hierarch. part.* 1. *cap.* 5. *Est figura futuræ gloriæ. In nova etiam Lege, ea, quæ in Capite sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus.*

IV. Item sensus litteralis est duplex; unus proprius, quem verba proprie accepta significant: Velut cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum*, sensus litteralis est, Deum, ut verba sonant, esse diligendum. Alter vero metaphoricus, seu improprius, cum verba a sua propria ad impropriam significationem transferuntur. Ut dum dicitur *Joann.* 10. *v.* 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*, sensus litteralis est de populo fideli per *oves* metaphorice acceptas significato.

V. Sed quomodo sensus metaphoricus continetur sub litterali? Numquid, cum nominatur in Scriptura brachium Dei, sensus litteralis erit, quod in Deo sit brachium?

Dico cum D. Thom. hic *art.* 10. *ad* 3. sensum metaphoricum contineri sub litterali, quia significatur non per res, ut sensus spiritualis, sed per voces: Per voces autem significatur aliquid proprie, & improprie. In sensu tamen improprio (ait D. Thom.) *hæc est litteralis sensus ipsa figura: sed id, quod est figuratum. Nam enim cum scriptura nominat Dei brachium, est litteralis sensus, quod in Deo sit membrum hujusmodi corporale: sed id, quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa.*

VI. Porro, ut sensus allegoricus plenius intelligatur, observandum est cum D. Augustino *lib.* 15. *de Trin. cap.* 9. duplicem esse allegoriam, unam vocum, aliam rerum. Prior est continuata vocum translatio, cujusmodi est in illo *Isa.* 11. *v.* 6. *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur &c.* Non enim ea animalia, quæ per dictas voces significantur, debent intelligi; sed per metaphoram significatur, quod gentes barbaræ, ac crudeles deposita feritate, habitabunt cum populo Christiano, simplici, & mansueto. Et hæc allegoria pertinet ad sensum litteralem, seu historicum metaphoricum. Posterior allegoria est, quando ea, quæ sunt gesta in veteri Testamento, & etiam in novo, figurant, & significant alia gerenda in novo, vel spectantia ad Christum, vel ad mores nostros, vel ad æternam gloriam. Quare non omnis allegoria indicat sensum allegoricum condistinctum a sensu spirituali, sed sola allegoria in vocibus.

Præfati quatuor Scripturæ sensus, Litteralis, Allegoricus, Tropologicus, seu Moralis, & Anagogicus metrice vulgo sic designantur.

Littera, gesta docet: quid credas, Allegoria,
Moralis, quid agas: quid speres, Anagogia.

VII. Doctrina hactenus tradita cuilibet tyroni captu facilis, & obvia est, sed in ea applicanda labor maximus, etiam provectis. Cum enim non in quolibet Scripturæ textu hi quatuor sensus inveniantur, difficile est determinare, quinam fuerint sensus a Spiritu Sancto intenti, & maxime in illis textibus, de quibus Sanctus Spiritus nec ibi, nec alibi sese expressit.

In hac re supponendum videtur certum, in omnibus sacræ Scripturæ sententiis aliquem sensum litteralem, sive proprium, sive metaphoricum reperiri, quia sensus litteralis est fundamentum cæterorum.

VIII. Porro regulæ ad cognoscendum sensum litteralem sunt. Prima, quando verba in propria significatione accepta sensum absurdum non faciunt, sunt ad litteram accipienda, & non ad metaphoram, aut tropos trahenda. Ita ex S. Aug. *lib.* 8. *de Genes. ad litt. cap.* 7.

Secunda, si alicujus sententiæ sensus, quem putamus litteralem, convenit cum ipso contextu, nec repugnet dogmatibus fidei, & morum honestati, vere est litteralis. Ita ex eodem *de Doctr. Christ. lib.* 3. *cap.* 10. Sic cum Christo dicitur Agnus, Leo, Vitis, patet non esse in sensu litterali proprio accipienda, ex D. August. *tract.* 80. *in Joann.* Sic cum dicitur *Matth.* 18. *v.* 8. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te*; & *ibid. vers.* 9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Hæc verba ad litteram proprie, & ut verba sonant, non sunt accipienda, cum morum honestati non congruant; Cum nefas sit, sejipsum mutilare, sibique pedem, vel manum abscindere, aut oculum eruere; sed per metaphoram, idest, si, qui te scandalizat, tibi sit carus, aut necessarius vitæ tuæ, sicut cor pori tuo manus, pes, vel oculus, hunc a tuo contubernio, & conversatione statim abscindas, & abjicias.

Tertia, est collatio Scripturæ cum loco, & tempore, & scopo personæ scribentis. Ita S. Hieron. *lib.* 2. in *Jerem. c.* 8. Quare si non capias, cur Jeremias prædicens mala e Babylone super omnes habitatores terræ ventura dicat *cap.* 1. *v.* 14. *ab Aquilone pandetur omne malum*: cum Babylon versus Aquilonem non sit, sed versus Orientem, vel Austrum: id facile disces, si consideraveris, Jeremiam non in Italia, aut Galliis scribentem, sed in Judæa prophetantem, & respectu Judææ Aquilonarem esse Babylonem, non Australem, vel Orientalem.

Quarta, est collatio Scripturæ cum Scriptura, seu textus cum textu, antecedentium cum consequentibus Scripturæ locis: cum D. August. *lib.* 2. *de Doctr. Christ. cap.* 6. dicat: *Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.* Sic duratio v. g. regni Antichristi, quæ a Daniele *cap.* 7. *v.* 24. satis obscure exprimitur hisce verbis: *per tempus & tempora, & dimidium temporis*, clarius expressa invenitur a Joann. *Apocal.* 11. *v.* 2. dum prædicit, quod Civitas Sancta *mensibus quadraginta duobus*, idest tribus annis cum dimidio calcabitur, & apertius adhuc *versu* 11. *tertio*, dum dicit, quod tunc regnabit homo ille peccati, cum duo testes Henoch videlicet, & Helias prophetabunt, *diebus mille ducentis sexaginta*. Et Chrillus, referente Divo Basilio *lib.* 1. *de Baptismo*, quod obscure dixerat *Matth.* 6. *vers.* 12. *Thesaurizate vobis Thesauros in Cælo*, clarius expressit *Luca* 12. *vers.* 33. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam; facite vobis sacculos, qui non veterascunt, Thesaurum non deficientem in Cælis.*

Quinta, est collatio Scripturæ cum SS. PP. sententia. Hanc tradidit Tridentinum *Decret. de edit. & usu S. Lib.* cum declaravit, non licere interpretari sacram Scripturam, contra unanimem Patrum sententiam.

Sexta, est collatio sacræ Scripturæ cum Ecclesiæ Judicio. Hæc est regula omnium tutissima, quam præscribit Tridentinum laudato loco, *sess.* 4. dum statuit, nemini suæ innixo prudentiæ licitum esse Scripturam interpretari, & ad suos sensus contorquere *contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum.* Ab hac regula quotquot recesserunt, in turpissimos errores, atque hæreses lapsi sunt.

Præter omnes præfatas regulas scitu dignas, advertat, qui lectionem sacræ Scripturæ, ejusque interpretationem suscipit, ut ad

ut ad eam accedat cum fide. Scriptum est enim *Isai.* 7. *v.* 9. juxta lxx. Interpretes: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Secundo cum humilitate, quia *Prov.* 11. *v.* 2. *Ubi humilitas, ibi sapientia.* Et Christus *Matth.* 11. *v.* 25. *Confiteor*, (inquit) *tibi Pater Domine Cæli, & terræ, quia abscondisti, hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Tertio cum conscientia pura, quia Sapientiæ 1. 4. *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quarto cum oratione, quia non tam a Libris, quam a Deo lumen intelligentiæ debet procedere, & ab eo petendum cum Davide *Ps.* 118. *v.* 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Unde S. August. *lib.* 2. *de Doctrina Christ. c.* 37. *non solum*, inquit, *admonendi sunt studiosi litterarum venerabilium, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant.... Verum quod est præcipuum, & maxime necessarium, orent, ut intelligant.* Quod fecisse D. Thom. legimus, qui *nunquam se lectioni, aut scriptioni dedit, nisi post orationem. In difficultatibus locorum sacræ Scripturæ, ad Orationem Jejunium adhibebat. Quin etiam sodali suo fratri Reginaldo dicere solebat, quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo se peperisse, quam divinitus traditum accepisse.* Quinto denique omnibus præfatis addere debet assiduam Divinæ Scripturæ lectionem; eam enim commendat Christus dicens, *Scrutamini Scripturas, Joann.* 5. 39. Commendat & Spiritus Sanctus *Josue c.* 2. *v.* 8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus*; Commendat & D. Paulus suo *Timoth. epist.* 1. *c.* 4. *v.* 13. dicens; *attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.*

IX. Quod si quæras scire, quibus ducibus possis litteralem, vel quemcumque alium Scripturæ sensum assequi; disces ex Sixto Senensi *lib.* 4. *suæ Bibliotheca sanctæ*, sic metrice respondente.

Historiam Hebræis, & Græcis fontibus haustam,
Hieronymo disces duce.
Allegorias, anagogemque reeludent,
Origenes, & Ambrosius.
Exponent sensus formandis moribus aptos,
Chrysostomus, & Gregorius.
In dubiis, altaque locis caligine mersis,
Aurelius lucem feret.
At brevis, & facilis non est spernenda tyroni
Lirinensis expositio.

X. Præter præfatos quatuor sensus, alius excogitatur, vulgo dictus accommodatitius, seu per accommodationem; cum verba Scripturæ rem unam significantia usurpantur ad aliam significandam juxta beneplacitum, & existimationem usurpantis, propter aliquam convenientiam, quam inter utramque intercedere judicat. Quo pacto Sacri Oratores textus multos Scripturæ usurpant in concionibus, eos applicando viris sanctis, quorum texunt panegyrim: ut si hæc verba de Noe prolata *Ecclesiastici* 44. *v.* 17. *inventus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio:* Vel ista de Abrahamo *ibidem* asserta *v.* 20. *non est inventus similis illi*: vel denique ista *v.* 26. De Isaaco *ibidem* dicta: *benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus &c.* usurparet extendendo, & applicando ea D. Benedicto, Dominico, Francisco, Ignatio. Sed iste non est sensus proprius Scripturæ, sed Interpretis, nec a Spiritu Sancto intentus, sed a Concionatore Scripturæ affixus.

XI. Quæres, an sacra Scriptura sub eadem littera contineat plures sensus litterales?

Resp. D. Thom. hoc *art.* 10. in fine corporis affirmative, asserens August. *lib.* 11. *confess. ex cap.* 18. 19. 20. dicentem: *Quia Auctor sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturæ plures sint sensus.* Quod etiam indicat *lib.* 2. *sentent. distinct.* 12. *artic. in resp. ad* 7. *& quæsito* 4. *de potentia artic.* 1. Quem sequitur Sylvius, aliique quamplures ab eo citati in hunc *artic.* 10. *quæsito unico.* Et probat. Potuit Deus plura, ac diversa iisdem verbis significare, & decuit sacræ Scripturæ majestatem, ac fecunditatem: sicut enim excellentior esset artifex, qui unico instrumento posset facere multa artefacta, quam ille, qui pro diversis artefactis diversis indigeret instrumentis. Et sicut perfectioris eloquentiæ est, paucioribus verbis plura complecti, quæ alius multis deberet dicere; Ita ad majorem Dei, & Scripturæ excellentiam pertinet, iisdem verbis plura significare.

Hinc illud *Gen.* 1. *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*, litteraliter significat, & *in initio temporis*, & etiam *anse omnia.* Prior sensus evincit, Mundum non esse æternum, sed aliquando cœpisse; Posterior ostendit, Angelos non fuisse creatos ante Mundum corporeum. Priorem sensum usurpavit S. August. *lib.* 12. *confess. c.* 20. *&* 28. Posteriorem *lib.* 11. *de Civ. Dei c.* 4. Utrumque vero idem S. Doct. *lib.* 1. *de Genes. ad litt. imperf. c.* 1. & Innocentius III. cum Concilio Later. dum *cap. Firmiter de summa Trin.* resolvit dicens, quod Deus *simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.*

Hinc etiam, quod in *Psalm.* 2. legitur: *Ego hodie genui te*, Paulus *Act.* 13. *v.* 33. de Christi resurrectione interpretatur. *Ad Heb.* 1. *v.* 5. de generatione æterna: quod etiam de temporali generatione recte intelligi, tum ex contextu patet, tum ex D. Thom. super *cap.* 1. *ad Hebræos.*

Hinc illud *Isaiæ* 52. *v.* 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* & de æterna Christi ex Patre, & de temporali ejusdem ex Matre generatione intelligi nihil vetat. Unde ex Patribus alii de æterna, alii de temporali, alii (ut Aug. *homil.* 36. inter quinquaginta, nunc *serm.* 44. & Cyrill. Alex. *lib.* 5. *in Isaiam* cum D. Hieron.) de utraque accipiunt.

XII. Neque inferas, si una littera multa significat, sequi ambiguitatem, & æquivocationem, & argumentationem ex littera habente plures sensus fore fallacem; quia, ut ait D. Th. 3. *p. q.* 60. *art.* 3. *ad* 1. *tunc est signum ambiguum, præbens occasionem fallendi, quando significat multa ad unum non ordinata.*

Nam bene respondet Sylvius laudato loco, tunc esse quidem signum ambiguum, præbens occasionem fallendi, & vitians argumentationem, quando aut is, qui illud assumit, non intendit, nec declarat, se ea multa significare, sed solum unum ex illis; aut intendit quidem ea multa significare, sed disjunctive, & cum animo illum fallendi. Non tamen quando qui assumit illud signum, intendit, & declarat, se ea multa determinate, & simul significare, ut in casu nostro. Hinc bene ait Lorcas, æquivocationem esse vitiosam, quando unicum tantum significatum intenditur, & exprimitur verbis æquivocis; sed quando quidquid verba significant, intenditur, non est (inquit) vitiosum, sed profundum uti verbis, quæ plura significent. Videri potest Sylvius laudato loco, alia de hac materia docte & erudite afferens. Nobis sufficiet pro sufficienti notitia candidati instructione hæc delibasse. Ad rem ergo nostram veniendo.

§. III.

Resolutio quæsiti.

XIII. DIco primo. Ex sensu litterali proprio sacræ Scripturæ firmum semper eruitur argumentum Theologicum. Prob. Ex eo sensu Scripturæ firmum semper eruitur argumentum, qui est sensus Spiritus sancti, & a Spiritu sancto per verba Scripturæ intentus, sed talis est sensus litteralis; ergo &c. Unde D. Thom. hoc *art.* 10. *ad* 1. dicit, quod *nulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cum omnes sensus fundentur in supremum, ex quo solo potest trahi argumentum.*

XIV. Prob. secundo. S. Paulus 2. *ad Timoth.* 3. *v.* 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum &c.* sed hoc maxime præstat per sensum litteralem, qui facilliori negotio veritatem ostendit, & omnibus idioma noscentibus, & voces, apertus est; & licet in aliquibus contextibus obscurus fit, vel illi contextus non deserviunt ad suadendas, & probandas Catholicas veritates: vel collati cum aliis Scripturæ textibus illustrantur, & (ut §. præcedenti diximus) non desunt Theologo regulæ, & viæ ad illum inveniendum; ergo &c.

XV. Dico secundo. Ex sensu mystico, & etiam metaphorico potest Theologus aliquando firmum deducere argumentum, ex accommodatitio vero nunquam. Prima pars probatur. Ex eo potest Theologus firmum ducere argumentum, ex quo argumentati sunt Christus, & Apostoli; sed ex sensu mystico argumentati sunt Christus, & Apostoli; ergo &c. Min. prob. Christus ex serpente æneo exaltato a Moyse *Num.* 21. arguit, se fore exaltandum in Cruce, *Joann.* 3. *v.* 14. Ex eo, quod tribus diebus, & tribus noctibus fuerit Jonas in ventre piscis *Jonæ* 2. *v.* 2. arguit, se fore similiter in corde terræ, *Matth.* 12. *v.* 40. S. Paulus ex eo, quod Abraham habuit duos filios, Ismael de Ancilla, & Isaac de libera *Genes. cap.* 16. *v.* 15. & 21. *v.* 2. allegorice arguit ad *Galat.* 4. *vers.* 22. Deum esse auctorem utriusque Testamenti, veteris, & novi, & patrem duorum populorum, Judæorum, & Gentilium. Ex eo, quod de Agno Paschali dicitur *Exodi* 12. *vers.* 46. *Os non comminuetis ex eo*, arguit mystice S. Evang. *c.* 19. *v.* 36. Christo in Cruce non fuisse frangenda crura.

Probatur etiam hoc discursu: ex eo sensu potest firmum erui argumentum, qui est a Spiritu sancto volitus, & super litteram fundatus; sed talis est sensus spiritualis, & mysticus, ut in exemplis allatis ostensum est: Deus enim Scripturæ auctor nedum voces ad significandum usurpat, sed etiam rebus imponit pro suo libito, ut alia significent. Hinc S. Paulus 1. *Cor.* 10. *v.* 11. Cum præmisisset, Patres veteris Testamenti omnes sub nube fuisse, ait: *hæc autem omnia in figura contingebant illis: Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt*; & *ad Hebr.* 10. post longam, & accuratam per plura capita discussionem symbolorum veteris Testamenti respectu novi, intulit hanc causalem *v.* 1. *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum &c.* utique futurorum in Lege Evangelica, quam figurabat Lex, & in quo persuadendo totus est in illa epistola Paulus.

XVI. Dixi, sensum mysticum *aliquando* præbere Theologo firmum argumentum; non enim semper ex eo potest firmiter arguere, sed tunc solum, quando constat, eum fuisse totaliter a Christo, aut Apostolis usurpatum, vel ex Scriptura colligitur. Cum enim res, in quibus sensus mysticus fundatur, variam habent similitudinem, & convenientiam, varium etiam, & ancipitem possunt referre sensum mysticum, nisi aliunde constet certo, quem referant; quod certo constare nequit, nisi ex ipsa scriptura, & exemplo Christi, & Apostolorum. Sic Leo ob sui rapacitatem 1. *Petri* 5. *vers.* 8. usurpatur ad significandum Diabolum, qui ibi dicitur *Leo rugiens.* Propter suam fortitudinem designat Christum, qui *Apoc.* 5. *vers.* 5. dicitur *Leo de Tribu Juda.* Propter suam feritatem adumbrat adversarium quemque, qui *Psalm.* 16. *v.* 13. dicitur *Leo paratus ad prædam.* Et *Psalm.* 21. *v.* 22. *Salva me de ore Leonis.* Ob firmitatem, & constantiam justum designat. *Proverb.* 28. *vers.* 1. *Justus quasi Leo confidens absque terrore erit.* Ergo in sensu mystico, & metaphorico nulla inter probandum, & arguendum vis est facienda, nisi vel ex contextu, vel exem-

plo Christi, & Apostolorum constet, quo sensu sit accipiendum.

XVII. At huic resolutioni videtur obstare D. Thomas qui hoc *artic. 8. ad 1.* dicit, *sensum litteralem, ex uno solo potest trahi argumentum, non autem ex iis, quæ secundum allegoriam dicuntur.* Et in corpore articuli dixerat, quod *sensus litteralis est, quem auctor intendit.* Ergo ex sensu mystico non potest trahi argumentum.

Respondeo, D. Thomam confirmare potius nostrum assertum, quam destruere: vult enim, quod ex solo sensu litterali possit trahi argumentum absolute, quia est primo intentus ab Auctore sacræ Scripturæ, nec sensum multiplicem reddere potest; non vero ex sensu spirituali, nisi in quo sensu fuerit ab Auctore sacræ Scripturæ usurpatus constiterit, vel Christi, vel Apostolorum exemplo, vel ex ipso Scripturæ contextu. Quod vero ita senserit D. Thom. ostendo. Ex eo enim sensu trahi potest argumentum, quem constat fuisse inditum ab Auctore sacræ Scripturæ; sed D. Thomas ibi ostendit, non solum sensum litteralem, sed etiam spiritualem fuisse inditum, & intentum ab Auctore sacræ Scripturæ; dicit enim in *corp. articuli*, *quod Auctor sacræ Scripturæ est Deus in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, sed etiam res ipsas, & quod significatio, quæ res significatæ per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis*; ergo &c. quia vero non semper certi sumus, quem sensum sacræ Scripturæ Auctor illis rebus accommodarit, ideo non semper, sicut ex litterali, ex eo firmum trahere possumus argumentum; neque ex hoc *aliquid deperit Sacræ Scripturæ* (addit Sanctus Doctor ad primum) *quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat.*

XVIII. Secunda vero asserti pars probatur. Cum enim sensus accommodatitius, non sit a Spiritu sancto cum litteralis nobis consignatus, nec eum respiciat Auctorem, sed a quolibet interprete pro ingenii sui dexteritate, & arbitrio Sacræ Scripturæ accommodatus, & quasi affictus, certum est, nullam ei vim inesse divinam ad res fidei tuendas, & contra impugnantes, sed solum humanum. Hinc S. Hieron. *lib. 2. in Matth.* explanans illud c. 13. de fermento, quod abscondit mulier in farinæ satis tribus; postquam similitudinem hanc adorando Trinitatis mysterio adaptasset, subjunxit: *Pius quidem sensus, sed nunquam parabola, & dubia enigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum perducere*, & D. Augustinus *epist.* 48. modo 93. arguens Donatistas, qui Ecclesiam in sola Africa eorum patria illæsam, & puram remansisse suadere volebant ex illo *Cant. 1. 6. Ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Postquam hujus textus pravam usurpationem varie, & mire impugnasset, concludit: *Quis autem non impudentissime nitatur, aliquid in allegoria posicum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Quæ verba confirmant etiam observationem a nobis factam pro prima parte hujus asserti, qua diximus, ex sensu mystico non posse duci argumentum firmum, nisi constet, illum revera fuisse rei a Spiritu Sancto accommodatum. Nisi enim id constiterit, hærebimus semper, an ille sensus sit Spiritus Sancti, an noster, an vere spiritualis, an solum accommodatitius. Quibus satis instructum hac de re tyronem meum existimo.

§. IV.

Quænam Scripturarum editio deservire possit Theologo ad certo probandas suas conclusiones.

De variis Sacræ Scripturæ editionibus fuse alibi egimus. Nunc vero pro aliqua tyronis notitia, & regula, ne forte in arguendo decipiatur.

XIX. Sciat, oportet, autographos, seu originales libros, & primævos veteris Testamenti hebraice fuisse omnes conscriptos, exceptis Tobiæ, Judith, Esdræ, nec non Danielis libris Chaldaice primitus datis, & 2. Machab. (juxta S. Hieronymum) græce primo conscripto.

Autographos, & originales novi testamenti libros primo datos fuisse græce, si tamen excipias Evangelium Matthæi Hebraica lingua, seu Syriaca, Hebræis tunc vulgari primitus scriptum, sicut & Epistolam Pauli ad Hebræos, licet Origenes, & Clemens Alexandrinus eam græce fuisse scriptam autument. Excipiunt alii Evangelium Marci Romæ, & latine primo scriptum opinantes: quibus tamen non adhæremus.

XX. Sciat secundo, nos hodie Scripturæ Sacræ autographa, seu originalia habere nulla, sed apographa sola, & exemplaria, variasque editiones diversa lingua, diversis temporibus orta, quæ ad quatuor istas reducuntur, nimirum ad Hebraicam, Græcam, Latinam, & Vernaculam, seu Vulgarem. Ad Hebraicam reducuntur Chaldaica, Syriaca, & Samaritana. Sub Græca, & Latina continentur versiones variæ ex illis factæ. Ad Vernaculam vero referuntur Arabica, Æthiopica, Persica, Gallica, Germana, Hispana, Anglica, Italica.

XXI. Editio Hebraica Sacror. Codicum dicitur illa, quæ a Moyse, & Prophetis litteris scripta fuit Hebraicis, quæque Captivitatis Babylonicæ tempore ex integro, (ut aliqui volunt) deperdita; aut ut alii verius) dispersa, vitiata, & corrupta, fuit per Esdram vel ex integro edita, vel suæ puritati restituta; sine tamen punctis vocalium; cum hæc post S. Hieronymi tempora fuerint addita a Rabbinis Tiberiensibus, ut probabilius censent eruditi. An hæc si apud nos pura, an vitiata; & an levibus, vel gravibus mendis scatens, non disputamus. Authentica tamen a nobis dici non potest, quia de illius cum originali conformitate, nullo nobis Ecclesiæ judicio constat.

XXII. Editio Chaldaica, qualis apud nos est, nihil aliud est quam Divinæ Scripturæ ex Hebraica in Chaldaicam linguam translatio, non de verbo ad verbum, sed de sensu ad sensum; unde paraphrasis Chaldaica vulgo dicitur potius, quam Versio. Auctores ejus fuisse Rabbini censentur; quonam ævo, an ante, vel post Christum, sub lite est. *Targum* ab Hebræis (hoc est interpretatio) nuncupatur Babylonicum unum, & Jerosolymitanum alterum. Quidquid tamen sit de auctore, de tempore, quo primo prodierit, certum est, eam scatere variis Judæorum fabulis, & Talmudistarum nugis. Unam tamen esse potest Theologo ad Judæos de SS. Trinitatis mysterio, & Venerandæ Incarnationis convincendos.

XXIII. Editio Syriaca, cujus incertus est auctor, tempus, & auctoritas, sic dicitur, quia Syriacis scripta characteribus, Syriaca lingua ex Hebræa prodit & Chaldaica, tamquam utriusque corruptio: cum enim Hebræi in Babylonica Captivitate constituti, ut Chaldaicam discerent, paulatim Hebraicam linguam dedidiscerunt, factum est, ut nec congrue, & perfecte Chaldaice, nec Hebraice amplius, sed linguam mixtam ex Chaldaica, & Hebraica loqui cœperint, quæ Syriaca dicta est, facta etiam post Captivitatem Judæis vernacula; quæque Christus fuisse usus, & Apostoli, creduntur; & adhuc etiam utuntur Maronitæ in suis sacris ritibus, qui vicos, & pagos per Libanum dispersos hodie incolunt. Esto autem hæc editio judicio Ecclesiæ non fuerit comprobata, & proinde non authentica, utilis tamen esse potest. Primo, ad latinam nostram multis in locis firmandam. Secundo, ad multa ejus obscura, & difficilia penetranda. Et tertio, ad revincendos recentiores hæreticos, quod in titulis capitum mentionem faciat jejuniorum Quadragesimæ, venerationis S. Crucis, commemorationis Defunctorum, & aliorum, quæ tamquam humanas ac superstitiosas traditiones expunnt Lutherani, & Calvinistæ.

XXIV. Editio Samaritana, quia primitus Hebraica lingua, tunc Hebræis, & Samaritanis communis, etsi characteribus Samaritanis conscripta, ad Hebraicam merito reducitur. Porro characteres Samaritanos esse Hebraicos antiquos, censet S. Hieronymus in Prologo Galeato; cum Esdram auctorem habeant characteres novi, queis hodie utuntur Hebræi. Incerti auctoris est hæc versio, & longe antiquior Christi temporibus, non tamen authentica quia nondum per Ecclesiam judicata hebraico autographo conformis.

XXV. Versio Græca, licet multiplex sit (ut dicemus) omnium tamen prima censenda illa est, quam, curante Ptolomeo Philadelpho Rege Ægypti, lxx. Interpretes ediderunt. De qua fuse alibi dicimus: ducentis, & quinquaginta circiter annis ante Christum edita creditur. Ea usa est Ecclesia in suis initiis per sexcentos circiter annos, & hodie utitur Ecclesia Græca; immo ea usos fuisse Apostolos, & Evangelistas, censent Eruditi. Propterea esto non sit habenda, ut authentica, quia Ecclesiæ judicium eam declarans autographo hebraico conformem non accessit, magna tamen in veneratione habenda est, utpote variis Sanctorum Patrum commentariis illustrata, & ad vulgatæ nostræ plures locos elucidandos summopere utilis.

XXVI. Post hanc lxx. Interpretum versionem aliæ, quarum tamen nobis nonnisi fragmenta remanserunt, nimirum Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Anonimæ duæ, Origenis, & S. Luciani, & Hesichii, recensentur.

Primam edidit *Aquila* genere Ponticus, primo Christianus, sed quia astrologiæ judiciariæ nimium vacaret, ejectus ab Ecclesia, ex Christiano factus Judæus, & irruens in lxx. Interpretum versionem, aliam a sui cerebro Sacrorum Codicum depromere aggressus est, in qua vaticinia de Christo quoad posset, subverteret, quam reipsa edidit circa annum Christi 130. de quo S. Epiph. *leg. de ponderibus, & mensuris.* Euseb. *hist. lib. 6.* & Baronius *ad ann. Christi* 130. unde hæc versio repudianda est.

Secundam adornavit Theodotion Ephesinus, Tatiani hæretici primo discipulus, deinde Marcionis Sectarius, tandem Judæus factus, ea lege, ut vetus Testamentum, & novum græce redderet, quod & præstitit circa annum Christi 184. multa addens, multa etiam minuens; quem inter Judaizantes hæreticos rejicit S. Hier. *prol. in Job.* Ex quibus vides quanti facienda sit ejus versio, Consule Baron. *ad ann. Christi* 184.

Tertium lucubravit Symmachus circa ann. Christi 200. Is genere Samaritanus, cum a sua gente nil honoris sibi deferri videret, transivit ad Judæos: deinde ex Judæis ad Christianos, demum Ebionis Sectatorius factus, suam versionem, non verbum ex verbo, sed sententias ex sententiis reddens (ut ait S. Hieronym. *in cap. 36. Jerem.*) adornavit. Consuli possunt Hieronymus, Baronius, Philastrius, & Myræus. Hæc versio suspecta haberi debet.

Quarta auctoris anonymi, Hiericuntina dicitur, quia in quibusdam doliis apud Urbem Hiericho, anno Imperii Caracallæ 7. reperta, teste S. Epiphanio.

Quinta, ignoti pariter auctoris, Nicopolitana nuncupatur, quia in dolio similiter inclusa apud Nicopolim reperta. Imperante Alexandro Mammeæ filio.

Sexta, est Origeniana, auctorem habens Origenem, quæ potius quam versio, præcedentium versionum collectio dicenda est. Selegit namque Origenes quatuor præcipuas versiones, quæ suo tempore extabant, nimirum septuaginta interpretum (quam ipse variis in locis nunc mutaverat, nunc corruperat, nunc emendaverat) Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, easque in unum volumen redegit quatuor distinctis columnis, ita ut omnes eodem aspectu videri possent, & versus versibus, periodi periodis responderent, quas vocavit ab illis quatuor columnis *Tetraplas*, ut notat S. Hieron. *epist.* 89. Postmodum his

his quatuor editionibus, & columnis e regione præposuit Hebraicam, idque duabus columnis, quarum prima continebat textum hebraicum litteris hebraicis scriptum, altera vero eundem, sed litteris græcis exaratum; cumque hoc opus sex columnas exhiberet, vocavit *Hexapla*. Tandem his sex editionibus, & columnis adjecit alias duas græcas editiones, duabus columnis distinctas, nempe Hierichuntinam, & Nicopolitanam; cumque jam octo essent columnæ, vocavit *Octapla*. Hujusmodi tamen Octapla ab Hexaplis non distinguunt Eusebius, & Hieronymus: immo S. Epiphanius *lib. de pond. & mens.* loquitur de Hexaplis, ut de opere ab Octaplis indistincto.

Septima, est versio S. Lucianum Martyrem auctorem referens, qui cum videret sacros Codices corrumpi, & in pravum sensum detorqueri, eosdem ad fidem Hebraici textus emendatos reddidit; quam editionem S. Athanas. sub Constantino propria Luciani manu descriptam, Nicomediæ repertam fuisse refert. Vide Baron. *ad ann. Christi* 320.

Octava, Hesychium parentem habuit Presbyterum, quæque in usu erat Alexandriæ, & in tota Ægypto recepta, atque probata. Hæ sunt præcipuæ versiones græcæ.

XXVII. Ad Latinas transeamus. Tot erant temporibus Sancti Augustini versiones latinæ, ut ipse dixerit, eos, qu Scripturas Sacras ex hebræo verterunt in græcum, numerari posse, eos vero, qui in latinum, non posse. Inter has tamen omnes, etsi numero multas, duæ magnam in Ecclesia venerationem sunt consecutæ. Una antiqua, incerti auctoris opus, quam *Italam*, idem quod latinam, vocat S. Augustinus, *Communem* S. Hieronymus, *Veterem* S. Gregorius, *Vulgatam* Orosius, & cum isto *Vulgatam* universus Christianus Orbis, quia illius ubique frequentissimus in Ecclesia usus. Altera nova post hanc Italam a S. Hieronymo data, qui jussu Damasi Romani Pontificis vetus Testamentum ex hebræo latinum fecit, & novum a mendis purgando, græcæ fidei reddidit: *Novum Testamentum græcæ fidei reddidi; Vetus juxta hebraicum transtuli*, inquit ipse S. Doctor in fine sui de Scriptoribus Ecclesiasticis libri. Evulgata D. Hieronymi versione, contentio orta fuit in Ecclesia quænam esset præferenda. Augustinus pro Itala, quia (ut ajebat) verborum erat tenacior cum perspicuitate sermonis. Et S. Isidorus pro nova S. Hieronymi dimicabat. Non longe post S. Gregorii tempora conflata est una, quæ nec ex toto antiqua, nec ex toto nova, sed vulgata communis diceretur; non quia mixta ex libris antiquæ, & novæ, sed quia libri nonnulli in ea leguntur eo modo, quo in antiqua, & alii eo modo, quo in nova. Et hæc est hodierna vulgata nostra, quam multorum seculorum usu in Ecclesia receptam, tandem Concilium Tridentinum declaravit authenticam *Decreto de edit. & usu Sacror. Libr.* sanciens, *ut pro authentica habeatur, & ut eam nemo, quovis prætextu rejicere audeat, vel præsumat.*

Vernacula tandem scripturæ versio, dicitur illa, quæ vernacula, seu vulgari populi, vel nationis lingua conscripta est. Ex orientalibus præcipuæ sunt. Arabica, Ethiopica, Persica; & ex Occidentalibus variæ editæ, sive a Catholicis, sive ab Hæreticis, de quibus suo loco diximus, nulla tamen ex his habenda est, ut authentica; & si hæreticorum opus sint rejicienda tamquam saltem suspectæ.

Circa versiones vulgares, duo sunt ab Ecclesia sancita. Primum ne in publico Ecclesiæ usu, præsertim in Missa, legantur. Id constat ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 8. de Sacrificio Missæ dicentis: *Etsi Missa contineat magnam populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur.* Alterum ne omnibus indiscriminatim legi permittantur; cum juxta quartam indicis regulam a Pio IV. Sisto V. & Clemente VIII. Summis Pontificibus approbatam: *experimentum manifestum sit, plus inde detrimenti, quam utilitatis oriri, ob hominum temeritatem.* His itaque præmissis, ad rem præsentem.

XXIX. Dico. Ex sola vulgata latina versione potest Theologus tutum ac firmum ducere argumentum. Constat ex dictis. Ex ea enim sola Sacræ Scripturæ versione potest Theologus firmum ducere argumentum, quam sibi constat, exprimere verba, & sensus ut a Deo dictatos, & continere reipsa Verbum Dei, sed de sola vulgata latina id constat, hæc enim longo seculorum usu probata fuit, de hac etiam Ecclesia, ad quam (utpote *columnam, & firmamentum veritatis*, cuique Spiritus Sanctus promissus a Christo infallibiliter assistit, *docens eam omnem veritatem*) pertinet judicium ferre de Verbo Dei, separando verum Dei Verbum a falso sententiam tulit; ergo &c. de aliis enim, sive versionibus, sive textibus originalibus nihil locuta est; ergo &c.

Argumenta hæreticorum contra vulgatæ latinæ puritatem a nobis alibi proposita, & soluta sunt; hic enim authenticitas vulgatæ nostræ supponenda est, non probanda.

XXX. Adverte tamen, Tridentinum statuens vulgatam latinam esse authenticam, & pro tali eam omnibus proponens, noluisse infirmare auctoritatem textuum originalium, Hebraici, & Græci, quia cum de istis mentionem ullam non fecerit, eos reliquit in sua auctoritate, quæcumque illa sit: sed solum vulgatam cæteris latinis versionibus prætulisse. Quia tamen nulla Scriptura habenda est pro puro Dei Verbo, & ut authentica, nisi ab Ecclesia talis sit declarata, & Ecclesia de fontibus Hebraicis, & Græcis nihil statuerit: ideo a nobis ut anthentici habendi non sunt, nec ex iis firmum argumentum trahendum, nisi in iis, in quibus cum vulgata concordant. Utiles etiam esse possint versiones vernaculæ ad arguendum contra eos, qui illis utuntur: ut si ad convincendum Calvinistam utaris versione Diodati, aut alterius, quem ille sequatur. Ad convincendum Lutheranum versione Lutheri. Anabaptistam versione Munsteri; & sic de aliis. Quibus satis expensis manet primus, ac præcipuus locus Theologicus.

DUBIUM III.

De Loco a Traditionibus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Traditio Sacra.

Traditiones, seu Verbum Dei non scriptum, sed oretenus traditum Ecclesiæ per Apostolos, revera admittendas esse hic supponam; eas enim probare alterius loci erit, eum hic de ipsis tantum quærendum sit, quale argumentum possint Theologo suppeditare. Attamen ne prorsus jejunum dimittam meum Candidatum, aliqua (raptim tamen) indicabo.

I. Traditio ergo sumi potest latissime, minus late, & stricte. Traditio latissime est omnis doctrina tradita, idest communicata ab uno alteri, sive voce, sive scripto. Sic Lex antiqua, tradita Moysi a Deo, & a Moyse tradita Josue, a Josue Senioribus, licet scripta, tradita dicitur, *Exodi 17. v. 14. Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Josue.* Traditio minus late, ut scilicet abstrahit a Sacra, & Profana, est quæcumque notitia, quæ sine scripto de aure in aurem per majores nostros ad nos pervenit, qualia sunt gesta majorum nostrorum, quove in sepulchro jaceant eorum ossa, quamvis nihil scriptum habeamus. Stricta denique traditio, & theologice spectata, nimirum sacra, de qua hic unice agimus, nihil est aliud, quam fidei, aut morum doctrina, non scripta, sed viva voce, quasi de aure in aurem successive usque ad nos perveniens, qualis est ea, qua multa credimus, quamvis nullibi, saltem expresse, in Verbo Dei scripto legamus; ut Beatam Mariam etiam post partum virginem perpetuo fuisse; parvulos esse baptizandos; & talis est omnis illa, de qua Chrysostomus *hom. 4. in 2. ad Thessalonicenses: Est traditio*, inquit, *nihil quæras amplius*, & quas Paulus *Thessalonicensibus epist. 2. cap. 2. v. 15.* commendat dicens: *tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.*

II. Traditio ergo sic accepta considerari potest, vel ex parte auctoris, & sic dividitur in *Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam.* Vel ex parte materiæ traditæ, & sic dividitur in traditionem *de fide*, & traditionem *de moribus.* Vel ex parte ejus, cui traditur, & sic dividitur in *universalem*, quia traditur Ecclesiæ universali, & *particularem*, quia traditur tantum Ecclesiæ particulari. Vel ex parte durationis, pro qua traditur, & sic dividitur in *perpetuam*, quæ traditur pro semper, & in *temporaneam*, quæ solum traditur ad certum tempus. Vel denique ex parte modi, quo traditur, & sic dividitur in *necessariam*, quæ necessario servanda est, cum sit per modum præcepti instituta; & in *liberam*, quæ per modum consilii lata, ad libitum observari, & non observari permissa est.

III. Traditio ergo divina est Verbum Dei non scriptum, sed traditum, seu Doctrina Dei in sacris Litteris non scripta, sed a Deo immediate majoribus revelata, & a majoribus ad posteros quasi de aure in aurem successive tradita. Talis fuit, ante Legem a Moyse scriptam, seu in Lege naturæ, doctrina de mundo isto a Deo creato; de remedio adhibendo pro originali delendo peccato; de ritibus, quibus tunc colebatur Deus: cum enim eo tempore Doctrina Dei non esset scripta, regebantur homines doctrina a Deo tradita, & de aure in aurem communicata.

Talis fuit, post Legem scriptam, & ante Christum, doctrina de divinitate librorum sacrorum; de remedio pro delendo originali peccato in feminis; de præfigurata Christi morte per cruenta sacrificia; & alia, quæ scripta non erant, & tamen ut a Deo dicta habebantur.

Talis est adhuc hodie in Lege Christi nova Doctrina de perpetua Deiparæ Virginitate; de parvulis ante usum rationis baptizandis; de non rebaptizandis hæreticis; de septenario Sacramentorum numero; de SS. invocatione; de sacrarum Imaginum cultu; aliæque similes, vel Fidem, vel Sacramentorum materias, & formas spectantes, quæ in scripturis non exprimuntur, & tamen a Christo dictæ credutur.

IV. Traditio Apostolica, alia est pure Apostolica, alia est Apostolicodivina. Prima est, quæ ab Apostolis primo non scripto emanavit, sed viva voce, & per manus ad nos usque perfusa est. Hujus generis sunt Quadragesimæ institutio; observatio diei Dominicæ loco Sabbati & similia, quæ continuo observata dicuntur, & ab Apostolis tamquam Ecclesiæ Pastoribus instituta creduntur, Spiritus Sancti instinctu in bonum Ecclesiæ, & viva voce fidelibus suis præscripta, & ad nos per seculorum successiones transfusa.

Altera nimirum traditio Apostolicodivina est illa, quæ ab Apostolis fuit quidem Ecclesiæ tradita, at non proprio nomine, sed nomine Christi, & tamquam Christi præconibus, Christus enim ante, vel post Resurrectionem, dum per 40. dies apparens eis loqueretur de Regno Dei, ut habetur *Act. 1. v. 3.* multa creditur viva voce tradidisse, quæ scripta non sunt ut ea suo nomine Ecclesiis prædicarent; Et hujusmodi traditionum species est solum denominative Apostolica, & reipsa divina; sicut verbum Legati enuntiantis, & tradentis verbum Regis, est denominative solum verbum Legati, sed revera verbum Regium.

Fundamentum distinguendi hanc duplicem traditionum Apostolicarum speciem habemus, ex ipso Paulo: dum enim 1. *Cor. 11. v. 23.* dixit: *Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis:* indicavit, se loqui, & tradere, non proprio nomine, sed Christi, ut ejus præco, & legatus. Sicut cum *ibid. cap. 7. v. 10.* ait:

ati; *præcipio non ego, sed Dominus*. Dum vero *ibi v.* 12. inquit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus:* sicut cum 2. *Thessalon. cap.* 2. *v.* 14. ait: *state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem* (idest viva voce) *sive per epistolam nostram* (idest scripto) innuit, se loqui nomine proprio.

V. Traditio Ecclesiastica proprie dicitur illa, quæ, nec a Christo, nec ab Apostolis, sed postea ab Ecclesiæ Prælatis, vel Populis introducta, tandem per modum legis, seu potius consuetudinis, tacito sibi succedentium fidelium usu recepta, & ad nos usque delata est. Tales sunt observatio, & solemnitas quarumdam festivitatum, abstinentia a carnibus, ovis, & lacticiniis certis anni diebus; Pia & laudabilis formandæ Crucis consuetudo, pius aqua lustrali aspergendi mos; Aliaque hujusmodi ad ritum, & cæremonias spectantia.

VI. Traditio fidei, seu ad fidem pertinens, est doctrina fidei, non scripta, sed viva voce a Deo tradita. Hac via, ut fidei dogma, credimus, præter alia supra assignata ad traditionem divinam spectantia; Quod Scriptura Sacra, qua utitur Ecclesia Catholica, sit vere divina; Quod quatuor sint Evangelia, nec plura, nec pauciora; Quod baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi; & similia.

VII. Traditio morum, seu mores ac ritus spectans, est doctrina quædam primitus, non scripto, sed voce tradita, & successive pro dirigendis, & formandis moribus, & ritibus traducta, qualis est de jejuniorum observantia certis diebus: de majorum Festorum celebratione, de benedictione, & aspersione Aquæ; de formando in fronte Crucis Signo &c.

VIII. Traditio perpetua illa dicitur, quæ ab initio instituta fuit, ut semper duret, neque ulla auctoritate creata mutari potest. Tales sunt divinæ omnes, & a Christo per Apostolos ad nos usque transfusæ, ut sunt, quæ circa Fidem, circa Sacramentorum administrationem, sive de necessitate Sacramenti sint, ut materia, & forma, sive solum de necessitate præcepti, ut doctrina *de aqua miscenda Calici*, de qua S. Cyprianus *lib.* 2. *epist.* 3. ait: *Admonitos autem nos scias, ut in Calice Domini offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut Calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.*

IX. Traditio temporanea illa dicitur, quæ ad certum tempus instituta est, vel illimitate: talis tamen naturæ est, ut possit per Ecclesiam mutari; quales sunt traditiones pure Apostolicæ; tales Ecclesiasticæ omnes. Et de facto mutatæ sunt variæ ab Apostolis habitæ traditiones; ut sunt Trina immersio olim servari solita in Baptismo; Quotidiana fidelium Communio; Communio sub utraque specie a Laicis aliquando servata; Agapes, seu communia convivia olim in Ecclesia fieri consueta, &c.

X. Traditio universalis ea est, quæ, sive Divina sit, sive Apostolica, sive Ecclesiastica, omnes ubique gentium fideles attingit, sive quæ universam respicit Ecclesiam, ut sunt anniversaria majorum festorum, Paschatis, Pentecostes, Nativitatis, Quadragesimæ, & quatuor Temporum observatio, Aquæ benedictæ, Signi Crucis in fronte, & similia.

XI. Traditio particularis est illa, quæ unam duntaxat, vel particulares quasdam Ecclesias respicit. Talis esse nequit Traditio Divina, sed vel pure Apostolica, vel Ecclesiastica: sicut traditio particularis erat olim Romæ observatio diei Sabbati, quam ex Sancti Petri institutione ortam, S. Augustinus innuit *epist.* 86. *ad Casulanum*, suo, & S. Ambrosii tempore adhuc viguisse; & idem S. August. testatur *epist.* 118. *ad Januarium*, de ea dicere solitum fuisse Ambrosium: *Cum Romam venio, jejuno Sabbato, cum hic sum*, Mediolani, *non jejuno*.

XII. Traditio necessaria illa dicitur, quæ necessario servanda est, quia per modum præcepti instituta. Tales sunt præfata majorum festorum observatio, aquæ Calici miscendæ usus, Paschatis celebratio Dominica prima post lunam 14. Martii. Tales sunt omnes traditiones divinæ, Apostolicæ perpetuæ, & Ecclesiasticæ universales.

XIII. Traditio libera illa est, quam in cujusque arbitrio est observare, vel non observare, quia non per modum præcepti instituta, sed consilii; qualis est usus signandi frontem Cruce, vel aqua lustrali eamdem aspergendi.

XIV. Pro pleniori traditionum notitia sciendum, non ideo traditionem dici doctrinam non scriptam, quod nullibi reperiatur scripta, sed quia viva voce, non scripto, a suo primo Auctore tradita, nulloque in libro canonico scripta (saltem expresse) mandata; quamvis deinde a successoribus de illa testificantibus fuerit litteris consignata. Tales sunt Divinæ, & Apostolicæ in nullo libro canonico expressæ, nobis tamen per Sanctos Patres scripto successive ostensæ. Ita ex Cano *loc. Theolog. lib.* 3. *cap.* 5. & alibi. Et Annato *de Tradition. lib.* 3. *art.* 1.

§. II.

Regula pro secernenda Traditione Divina a pure Apostolica, & Apostolica a pure Ecclesiastica.

XV. PRimam regulam sumimus ex D. August. *lib.* 1. *contra Donat. cap.* 24. respiciendo nimirum initium Traditionis. *Quod* enim, ait August. *universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Hinc si consuetudinis Quadragesimæ jejunandæ initium quæras, videasque illam ab Ecclesia universa semper retentam, eamque neque ab ullo Summo Pontifice, nec Concilio primo institutam; esse traditionem ab Apostolis ortam rectissime inferes.

Considerandum rursus est, an ejus initium supponat Christi ascensum in Cælum; si enim supponat, manifestum erit, eam fuisse ab Apostolis institutam, & pure Apostolicam, ut de observantia quadragesimæ dictum est; ejusdmodi est praxis de vigiliis celebrandis in memoriis Martyrum; abstinentia a suffocato, & sanguine &c. Quod si nedum Christi ascensum, sed & Apostolorum ex hac vita discessum supponat, nec Apostolica dicenda est, sed pure Ecclesiastica, ut abstinentia a carnibus &c. certis anni diebus.

XVI. Secundam regulam accipere possumus ex parte materiæ, circa quam versatur. Si enim materia talis sit, ut Ecclesiæ potestatem excedat, ut si tangat materias, & formas Sacramentorum, eorumque institutionem, dicendum erit eam a Christo initium & auctoritatem habuisse, & Apostolos fuisse tantum præcones, proinde non pure Apostolicam, sed Divinam, seu Apostolico-divinam habendam esse. Hujus speciei esse eam de aqua miscenda vino in Calice, dicit Cyprianus *lib.* 2. *ep.* 8.

XVII. Tertio considerari debet, an traditio sit mutabilis, vel saltem dispensabilis auctoritate Ecclesiæ. Si enim sit ejus auctoritate mutabilis, aut dispensabilis, clarum erit, eam esse pure Apostolicam, & non divinam; quia in Traditione Divina, quæ nihil aliud est, quam Verbum Dei non scriptum, nulla homana auctoritas potest dispensare.

XVIII. Quarto, consideranda est traditio per respectum ad communem Sanctorum Patrum consensum. Quare si adhuc dubitetur, an Ecclesiæ potestatem excedat, an sit Divina, vel pure Apostolica, consulendi sunt veteres Patres ab initio secundum temporum suorum successiones, & videndum, an illam concordissime tenuerint, & oppositum sentientes, ut hæreticos judicaverint, etsi nihil de ea in Sacris Litteris habeatur. Quod si ita erit, illa traditio habenda erit tamquam a Christo primo orta, & tamquam divina. Talis est perpetua B. M. Virginitas, descensus Christi ad Inferos; certus numerus Sacramentorum, & Evangeliorum.

XIX. Quinto, attendendum est Ecclesiæ judicium. Si enim non constet adhuc de communi Patrum consensu circa traditionem aliquam, & dubitetur, an sit Divina, vel Apostolica, qualis fuit traditio de non rebaptizandis hæreticis, quam Sanctus Cyprianus impugnabat, considerandum est, quale judicium super eam formaverit Ecclesia; & si eam judicaverit divinam, damnando ut hæreticum, qui eam non tenuerit, absque dubio ut divina habendi erit; quia Ecclesia in sui judicio est infallibilis. Et D. Augustinus *lib.* 2. *contr. Crescon. cap.* 32. *Non accipio* (inquit) *quod de baptizandis hæreticis B. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit*.

§. III.

Resolutio dubii.

XX. HIs expositis dico. Ex Christi, & Apostolorum traditionibus, & ex hoc, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper observatum est, ut ait Vincentius Lirinensis *Commonitorio primo*, certissimum potest a Theologo trahi argumentum, & ad Ecclesiæ consuetudines, & ad fidei dogmata comprobanda, etsi scriptum in sacris Litteris non reperiatur. Ex consuetudine item Ecclesiastica universali, perpetua, ac semper, & ab omnibus ubique gentium recepta, potest Theologus tuto argumentari. „ Si enim (inquit Canus *lib* 3. *loc. Theol. c.* 6.) Apostolus Paulus Ecclesiæ consuetudinem Corinthiis contentiosis opposuit 1. *Corinth.* 11. *vers.* 16. Cur nos itidem Ecclesiæ morem, ab Apostolis usque receptum, totque seculorum usu, ac gentium consensione probatum, non opponemus hæreticis (Lutheranis, & Calvinistis) cum a nobis Scripturam in cujusque rei confirmationem efflagitant? Certe Paulus, cum per scripturas, & per naturæ rationem satis dixisse videretur, ad ejus rei fidem faciendam, quam Corinthiis persuasam esse cupiebat, considerans tamen, inter Corinthios fore quosdam, qui illiusmodi forte, & testimoniis, & rationibus repugnarent, non aliud potius argumentum ad causam evincendam habuit, quam si eos ad Ecclesiæ morem revocaret: *Si quis*, ait, *videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei*. Quod dicit tale est. Si quis adeo est durus, & pertinax, ut argumentis positis non adducatur, sed adhuc contendat, feminam aperto capite orare oportere; hunc ego non aliter refello, quam quod Ecclesiæ Dei consuetudinem non habent. Tanta vis in traditione est, ut quos nec scripturæ, nec naturæ ratio movisset, eos Paulus existimavit, Ecclesiarum more, & instituto movendos. Hæc Canus. „ Quod si (dicam ego) tanta vis consuetudinis Ecclesiæ in rebus ad merum ritum spectantibus, ut erat, feminam non debere aperto capite orare, quanto major erit in rebus fidem spectantibus? Prosequitur Canus. „ In priore rursum ad Timotheum *Epist. cap.* 6. *v.* 3. *Si quis*, ait, *aliter docet, & non acquiescit sanis Sermonibus*. Non dicit *Scripturis*. Et ad *Galat.* 1. *v.* 9. *Si quis vobis evangelizaverit, præter id, quod accepistis, anathema sit*. Quibus ex locis recte Origenes in commentar. ad Titum (his commentariis caremus, sed refertur locus in *Apolog.* Pamphili) definit hæreticum eum, qui se Christo credere profitetur, & alius de veritate Fidei Christianæ credit, quam habeat traditio Ecclesiastica. Et *lib.* 1. *Periarchon* . . . . illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat. “ Prosequatur studiosus lector, quæ laudatus Canus ibi subjungit, ne videamur, diutius in hoc immorantes, ab instituto nostro deflectere, qui traditiones non statuere intendimus, sed iis suppositis probare solum, posse firmum ex iis trahi argumentum.

XXI. Hoc usque adeo verum est, ut præcitatus Canus *lib.* 3. *laudato cap.* 3. dixerit: „ Quod ad confutandos hæreticos major vis in traditione, quam in scriptura sit. Egesippus enim apud *Eusebium lib.* 3. *Hist. Eccl. c.* 32. refert virginem, mundam, & immaculatam Ecclesiam permansisse, donec Discipuli Domini extiterunt.... ut vero omnis illa ætas, quæ a Domino susceperat vivæ vocis auditum, de hac luce discessit, tum hæreticos, nudato, ut ajunt, capite, Apostolicam Veritatem oppugnasse. Et Ignatius apud eumdem ea maxime ratione docet, hæreticorum vitari contagia, si diligentius, ac tenacius Apostolorum traditionibus inhæreatur. Tertullianus quoque adhuc apertius monet *lib. de præscript. hæret.* ut, adversum hæreticos, magis traditionibus, quam scripturis differamus. Scripturæ enim in varios sensus facile trahuntur, traditiones non item. Nemo hæreticorum est, ut Hilarius ad Constantium Augustum tradit, qui se non secundum Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur, Omnes Scripturas sine sensu loquuntur. Et Irenæus *lib.* 1. *c.* 1. Hæretici, inquit, scripturis nituntur sua dogmata confirmare, ne sine teste esse videantur, sed deformant eloquia Dei, atque ex figura hominis, vulpis, aut ursi figuram reddunt. Hactenus ille. Faciunt porro hæretici, quod Patrem suum fecisse vident, ut Vincentius Lirinensis eleganter ait, & Auctoris sui callida machinamenta sectantur. Nam quid ille non faciet misellis hominibus, qui ipsum Dominum Majestatis Scripturarum testimoniis appetivit? Si Filius, inquit, Dei es, mitte te deorsum, Scriptum est enim &c. Ita quodcumque dogma hæreticus proferat, statim ait, scriptum est enim, & non unum, sed mille testimonia, mille exempla parat de Lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo more interpretatis, sententiam suam approbare conatur. Hæc Canus, qui ulterius prosequitur ostendendo, etiam omnem ferme cum hæreticis disputationem, ad traditiones a majoribus acceptas, esse referendam. Nam, cum utrique, & Catholici, & Hæretici pro sua sententia quisque Sacras Litteras referant, in sensu, & interpretatione discrimen est. Quis autem verus, & legitimus Scripturæ sensus habendus sit, nisi Ecclesiæ traditione cognosci certo non potest .... Atque hinc patet causa gravissima, cur traditiones Apostolorum fuerint necessariæ. Sensus enim Scripturarum Apostolicarum non erat ab Apostolis scripturis aliis explicandus, nisi in opera sua ederent commentarios, quod a viris gravissimis semper alienum fuit. Intelligentiam ergo Scripturæ Sacræ Discipulis suis viva voce tradiderunt &c. “ Ita Canus, quo melius nemo.

XXII. In eruendis tamen ex traditione argumentis, advertere debet Theologus, qualis sit traditio. Quod nempe sit perpetua, non temporanea; universalis, non particularis; necessaria, non libera. Unico verbo: quod de illa verificetur esse id, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper traditum est. Si enim velles probare, Pascha esse celebrandum luna 14. Martii; quia olim existimata fuit traditio Apostolica, a S. Joanne Evangelista hausta; dandum esse Regnum millenarium Christi post universalem resurrectionem; hæreticos fore rebaptizandos, quia olim traditio fuit; pessime concluderes, quia assumeres traditiones ab universa Ecclesia, nedum non acceptatas, sed expresse reprobatas. Similiter si argueres, Baptismum conferendum esse per trinam immersionem; abstinendum esse a suffocato, & sanguine, quia sic Apostoli tradiderunt; non bene argueres, quia traditio hæc non fuit perpetua, & pro omni tempore, sed solum ad certum tempus. Sicut etiam si probare velles, Sabbato esse jejunandum, quia sic, ex traditione Sancti Petri, Ecclesia Romana jejunabat; non bene argueres: quia hæc erat traditio particularis, nec perpetua, cum hodie nec Romana Ecclesia Sabbato jejunet amplius.

D U B I U M IV.

De Loco ab Ecclesia.

§. I.

De Ecclesiæ definitione.

ECclesiam veram Catholicam Christi Sponsam, hoc est Cœtum & Congregationem Fidelium, revera dari, alibi probabimus, hic tamen supponimus; ubi solum quærimus, quantæ firmitatis sit argumentum, ex ejus auctoritate petitum. Pro claritate tamen,

I. Sciendum primo Ecclesiam tripliciter sumi posse. Primo, pro loco materiali, in quo homines congregari solent, de quo locutus est Christus, dum ait *Matth.* 21. *v.* 13. *Domus mea domus Orationis vocabitur*. Secundo, pro aliqua locali fidelium congregatione, de qua Paulus 1. *Cor.* 11. *v.* 18. *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesia, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo: & v.* 22. *Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Sumitur tertio, pro fidelium cœtu ac societate, abstrahendo a locis, in quibus ejusmodi societas reperitur, & de ea in hoc sensu loquitur Apostolus ad Galatas scribens *cap.* 1. *v.* 13. *supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam*. Quod repetit 1. *Cor.* 15. *v.* 9. *ad Philipp.* 3. *v.* 6. & de qua Christus ipse *Matth.* 18. *v.* 17. *dic*, inquit; *Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. De Ecclesia ergo in hac tertia acceptione loquimur.

II. Sciendum secundo, Ecclesiam hoc modo acceptam, si nomen spectes; esse vocem græcam, quæ latine reddita significat *Cœtum*, *Convocationem*, venitque a verbo græco *eccaleo*, *id* est latine *evoco*, *convoco*. Quare ut advertit Bellarm. *lib.* 3. *de Ecclesia militante c.* 1. Ecclesia dicitur cœtus vocatorum, quia nemo ad hunc populum se adjungit per se, & suo proprio instinctu, sed omnes quotquot veniunt, a Deo vocatione præveniuntur. *Quos vocavit* (ait Apostolus (*Rom.* 8. *v.* 30.) *hos, & justificavit*. Est enim vocatio primum beneficium, quod Sancti a Deo recipiunt. Hinc toties idem Apostolus Christianos appellat *Vocatos*, ut *Rom. c.* 1. *v.* 6. *&* 7. 1. *Cor.* 1. *v.* 2. *&* 9. & alibi. Quare D. August. perpendens Pauli verba, *Rom.* 1. *v.* 1. *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei* (expositione inchoata *ut Epist. ad Romanos* Ex illis colligit discrimen Ecclesiæ a Synagoga, dicens: *breviter in duobus verbis Ecclesiæ dignitatem a Synagogæ vetustate discernit. Ecclesia quippe ex vocatione appellata est, Synagoga vero ex congregatione. Convocari enim magis hominibus congruit, congregari autem magis pecoribus, unde greges proprie pecorum dici solent*, quia in veteri Lege temporalium promissionum terreno cibo homines erant contenti; & brutorum more solo timore moverentur, & in officio continerentur.

III. Si vero Ecclesiæ naturam spectes, varie definitur nedum ab Hæreticis, sed etiam a Catholicis. Hæretici namque hodierni, qui solos justos, immo & solos prædestinatos intra Ecclesiam concludunt (ut suo loco dicetur) dicunt: Ecclesiam esse cœtum Sanctorum, Justorum, & Prædestinatorum. Ita olim Wicleffus, quem in substantia secuti sunt Lutherus, & Calvinus. Ex Catholicis vero Juenin *dissert.* 4. *de Locis Theolog. c.* 2. definit Ecclesiam, quod sit: *Cœtus Sanctorum sub uno Capite Christo Deo servientium*. Verum hæc definitio videtur describere solam Ecclesiam Triumphantem in Cælis, vel Ecclesiam abstrahentem a triumphante, & militante; non vero Ecclesiam militantem, de qua hic sermo est. Melius ergo ab aliis definitur, quod sit *Fidelium cœtus, sub uno Capite Christo, fidei unione, & Sacramentorum participatione coadunatus*. Cui alii addunt, *& gubernatus a legitimis Pastoribus, præcipue vero ab uno Christi in terris Vicario Romano Pontifice*. Quæ definitio, ut ait Bellarminus *citato loc. c.* 2. tres continet partes. Nimirum veræ fidei professionem sub Christo Capite, qua excluduntur omnes Infideles, qui nunquam fuerunt in Ecclesia, ac Judæi, Turcæ, Pagani: & qui fuerunt, & recesserunt, ut Hæretici, & Apostatæ. Rursus Sacramentorum participationem, qua excluduntur ab Ecclesia Catechumeni, qui nondum sunt admissi, & Excommunicati, qui ab Ecclesia sunt dimissi. Et denique subjectionem ad unum Christi Vicarium, qua excluduntur Schismatici, qui habent Fidem, & Sacramenta, sed non subduntur legitimo Pastori Vice Christi, & ideo foris profitentur Fidem, & Sacramenta percipiunt. Includuntur vero omnes alii, etiamsi Peccatores, ac Reprobi, dummodo tamen veram Christi Fidem profiteantur, in Sacramentis communicent, & legitimum Pastorem loco Christi agnoscant. Sed de his suo loco.

IV. Solum in præsens observandum censeo, nomine Ecclesiæ non intelligi Catholicorum quorumcumque coadunationem præcise, sed etiam, immo & præcipue, Principes, & Pastores ipsos Ecclesiasticos, in quibus scilicet hujus Reipublicæ auctoritas residet, juxta illud præclarum Aristotelis effatum *Ethic.* 9. *c.* 9. *Civitatem maxime esse, quod est in ea principale*. Inde enim, quæ Principes, ac Gubernatores Civitatis faciunt, & sentiunt, ea Civitas facere, sentireque dicitur. Hinc Moyses expositurus mandata Domini *Exod.* 19. *v.* 7. *Convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones, quos mandaverat Dominus*: deinde populus respondit. Similiter Salomon, ut deferret Arcam Domini in Templum a se extructum 3. *Reg.* 8. *v.* 1. *congregavit omnes majores natu Israel cum Principibus Tribuum, & duces familiarum filiorum Israel*, & inferius *vers.* 14. dicitur: *Convertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel; omnis enim Ecclesia Israel stabat*. Christus enim Ecclesiam non penes Populares principaliter esse voluit, sed penes Sacerdotes, ac Pastores, quidquid in contrarium obstrepant hæretici. Unde S. Cyprianus *Epist.* 69. *ad* Florentium, *etsi*, inquit, *contumax, ac superba obaudire volentium multitudo discedat; Ecclesia tamen a Christo non recedit? & illi sunt Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo Grex adhærens. Unde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo: & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse; & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt &c.* his præhabitis.

§. II.

Resolutio dubii.

V. DIco primo. Ab auctoritate Ecclesiæ Catholicæ potest Theologus firmum sumere argumentum. Probat. primo, nam Ecclesiæ fides deficere non potest: Est enim Sponsa Christi per fidem, sicut scriptum est *Osee* 2. *v.* 20. *& sponsabo te mihi in fide*: Quod si Ecclesiæ fides deficeret, jam sponsi, & sponsæ matrimonium dimitteretur, quorum indissolubilis est & perpetua conjunctio: *sponsabo te* (ait *Oseas v.* 19.) *mihi in sempiternum*. Ideo sponsa *Cantic.* 3. *v.* 4. *tenui eum, nec dimittam*. Et Christus *Matth. ult.* postquam *v.* 19. dixit Apostolis, *euntes ergo docete omnes gentes*. Et *v.* 20. *docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*, promisit, se illis nunquam in tali munere defuturum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*.

VI. Hinc præcluditur vana quorumdam explicatio dicentium, Christum futurum quidem semper Ecclesiæ præsentem ne unquam vera illi fides, & caritas desit: posse tamen Ecclesiam rem aliquam ignorare, puta credere ut revelatum id, quod a Deo non est revelatum; in quo casu Ecclesia fidem non

amitteret, sed solum erraret, error autem inculpabilis, & probabilis fidem Ecclesiæ non excluderet.

Præcluditur inquam: qui enim promisit Apostolis docentibus servare omnia, quæ ipse mandavit, omnibus diebus se adfuturum, & usque ad consummationem sæculi Successoribus eorum, promisit eis, & eorum Successoribus talem firmitatem in docendo, ut nedum a fide vera recedere non possent ex pertinacia, sed neque ex ignorantia, docendo ut a Christo mandatum, & revelatum id, quod ab ipso, nec mandatum est, nec revelatum. Rursus Ecclesia Corpus Christi est, ut docet Apostolus *Ephes.* 4. & 5. Christus autem hujus Corporis caput est, ipsum gubernans, ac regens; ergo si Ecclesia erraret, error iste in Caput refunderetur. Quod si in casu, quo Ecclesia a fide deficeret, deficeret etiam Christi promissio; cur hæc pariter non deficeret, si Ecclesia per errorem deficeret a veritate? Nullo ergo pacto, nec fidem amittere, nec in fide errare potest Ecclesia. Nam spiritus veritatis est hujus corporis anima. *Unum* (inquit Paulus *Ephes.* 4. v. 4.) *Corpus, & unus spiritus*. Spiritu veritatis Ecclesia agitur: ergo nullo errore, ne insciens quidem, moveri potest.

VII. Scio, hæreticos hunc discursum duplici via eludere conari. Primo ejusmodi promissionem ad solos Apostolos referri, nec ad posteros in Ecclesia pertinere. Secundo, hanc promissionem factam fuisse, non omnibus Apostolis conjunctim sumptis, sed singulis seorsim Apostolis, Discipulis, & Fidelibus.

Sed omnino futiliter. Quid enim aliud indicant verba, quæ post promissum spiritum veritatis subjungit Christus *Joann.* 14. 16. *ut maneat vobiscum in æternum*. Quid ista jam relata, ex *Matth. c. ult.* *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi?* Numquid Apostoli mansuri erant in æternum? Numquid vitam protracturi usque ad consummationem sæculi? Alloquebatur ergo Apostolos quidem, sed in Apostolis totam Ecclesiam, quæ erat, & quæ futura erat, huic promittens spiritum veritatis. Quod Christus ipse expressit, dum *Joann.* 17. v. 20. ait, *non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Quorum potius, quam Vates, Interpres fuit *Isaiæ*, dum c. 59. v. 21. conversis occidentalibus ad fidem cum venerit Sion Redemptor, promittit Spiritum Dei ipsis, & semini eorum usque in sempiternum: *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo, & usque in sempiternum*. Super quæ S. Hieronymus ait: *Quod scilicet gratia Prophetarum in Apostolis veniat, & per eos, qui de Israel per Apostolos credituri sunt*. Quem igitur spiritum veritatis Christus Apostolis promisit, Ecclesiæ item post eos futuræ promisit, nisi velimus, Ecclesiam, defunctis Apostolis, fuisse a Domino destitutam. Alias simili ratione dicere possemus, ad Ecclesiam nec consilia, nec præcepta Evangelii pertinere, si ea, quæ Dominus Apostolis loquebatur, ad illos solum, non ad futuros in Ecclesia post ipsos spectare dicamus. Quo quid stultius?

VIII. Non minus futiliter dicitur secundum. Nam etsi hoc daremus, quod spiritus veritatis fidelibus quibuscumque seorsim, ac singulatim sumptis adesset, docendo omnem veritatem, ut Calvinus, aliique ejusdem furfuris volunt? numquid proinde negabimus, quod singillatim cuique membrorum convenit, id plenius toti corpori convenire? Numquid dum oculus videt, non magis videt homo; an non lucerna corporis est oculus? Quid vero absurdius, quam membrum posse quicquam, quod corpus nequeat efficere, partem habere, quod non habeat totum? Nos ergo, quemadmodum scimus, animam esse actum, & perfectionem primo quidem totius corporis organici, secundo autem loco membrorum etiam singulorum, in quibus varias licet edat functiones, omnes tamen illæ, & corporis propriæ sunt, & propter corpus ipsum membris a natura tributæ: Ita spiritum veritatis ad corpus primum Ecclesiæ referimus, deinde propter Ecclesiam ad singulas ejus partes analogia quadam, & proportione, scilicet secundum actum suum, *omnia* enim *membra non eumdem actum habent*, ait Apostol. *Rom.* 12. v. 4. Immo si veritas, omnium membrorum donum est, tunc illa profecto erit, & firmior*, & certior, cum in eam omnia simul membra concurrerint? Cumque omnia* simul membra Ecclesia sint, plane sequitur, Ecclesiam spiritum veritatis habere. Quis enim putet singulis spiritum veritatis adesse, & non adesse omnibus simul, cum Christus dicat: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum?* *Matt.* 18. v. 20. Quomodo rursus stabit, Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis? 1. *Timoth.* 3. v. 13. Quomodo, qui Ecclesiam non audierit, habendus erit tamquam Ethnicus, & Publicanus, *Matth.* 18. v. 17. si Ecclesia, adhuc inscienter*, a veritate in suo judicio potest recedere? sed de his alibi.

XI. Dico secundo. Non solum ab auctoritate Ecclesiæ antiquæ, sed etiam Ecclesiæ, quæ nunc est; immo & Pastorum, & Ecclesiæ Principum potest Theologus firmum ducere argumentum. Duas habet partes hoc assertum; & prima quidem ex dictis præcedenti asserto constat. Nam pollicitationes Christi de præsentia sua usque ad consummationem sæculi, & de spiritu veritatis, mansuro in æternum, non ad Ecclesiam tantum, quæ fuit tempore Apostolorum, vel quæ fuit primis Ecclesiæ seculis, sed ad Ecclesiam quoque, quæ nunc est, & futura est usque ad seculi finem, pertinere necessarium est. Certe Ecclesiæ, quæ nunc est, Caput est Christus, qui influit in membra sicut prius; Et qui Ecclesiæ modo spiritum veritatis abriperet, is eadem ratione poterit eidem abripere & potestatem ligandi, atque solvendi, & Sacramenta, & Sacerdotium, & omnia Spiritus Sancti Charismata, dicens omnia hæc fuisse concessa tantum Ecclesiæ pro tempore Apostolorum, sicque Ecclesiam præsentem ad purum nomen redigere.

X. Addo. Si errores, qui sanæ Doctrinæ adversantur, Ecclesia, quæ nunc est, certo condemnare nequit, profecto, judicibus de medio sublatis, hujus seculi hæretici impune grassari poterunt. Ecclesia ergo præsens docere eos, qui Christi fidem susceperunt, suo jure potest, & a veritate aberrantes corripere, qui ejus judicio stare debent, & credere ipsi proponenti, ut a majoribus acceptam, & a Verbo Dei haustam, doctrinam aliquam. Is enim ordo in Ecclesiæ definitionibus statui debet, qui in humanis disciplinis servatur. Sicut ergo in disciplinis duo principiorum genera cernimus, unum remotum, aliud proximum: unum postremum, aliud primum: & principia proxima, & immediata probamus per resolutionem ad principia remota, & prima? Ita fides, quæ a nobis tenenda sit, referenda est ad fidem, quam tenuerunt, qui nos immediate præcesserunt: Fides horum ad fidem præcedentium, & sic ascendendo, donec ad Apostolos, & tandem ad Christum perveniamus, in quo ut in primo fundamento Catholica Fides consistit. Et sicut etiam utraque disciplinarum principia, si firma sunt, utræque item conclusiones certo probant, licet altera mediata sint, altera immediata; ita & Ecclesia, quæ nunc est, certum argumentum Christiani Dogmatis exhibet, quamvis ipsius demum Fides ad Christi, & Apostolorum sit doctrinam referenda.

XI. Qua in re multi non modice hallucinantur. Aliud enim est, quærere, quid Ecclesia præsens definire possit, & quousque ejus protendatur auctoritas; aliud vero, investigare, quanam via, & ratione ad rectam, & firmam harum rerum definitionem valeat pervenire. Nos enim in Ecclesia certam definiendi auctoritatem agnoscimus. At ingenue fatemur, non fieri hoc per novas revelationes, sive Summo Pontifici, sive Conciliis, sive etiam toti Ecclesiæ factas: sed per inquirenda potius majorum documenta, ac sanctorum scripta, Apostolicas rursum traditiones, sacras item litteras consulendas, atque per hujusmodi conquisita media, quæstionem de fide propositam decernendam. Hoc fecerunt Apostoli, & Seniores in primo Jerosolymitano Concilio; magna enim facta conquisitione, tum ex rebus anteactis, tum ex Scripturis Prophetarum, sententiam de re in quæstionem vocata tulerunt. Apostolorum exemplum secutos fuisse Nicænæ primæ Synodi Patres, scribit Eusebius Pamphili apud Socratem, *hist. Eccl. lib.* 1. *cap.* 8. quod in subsequentibus Synodis usque ad nos factitatum fuisse, quisque deprehendere poterit.

XII. Restat dubitandum, an, cum de auctoritate a testimonio, & judicio Ecclesiæ loquimur, nomine Ecclesiæ veniant soli Pastores, & majores in Ecclesia, an vero etiam Laici fideles. Quam dubitationem solvit Canus *lib.* 2. *de Loc. Theol. cap.* 7. cum distinctione. Quæ enim ad fidem spectant, alia sunt, quæ omnes fideles explicite credunt, ut Deum esse unum, & trinum; Filium Dei incarnatum fuisse. Altera sunt, quæ soli majores credere tenentur explicite, populus vero solum implicite; in fide scilicet majorum; ut Patrem, & Filium esse unum principium Spiritus Sancti? Hunc, vel illum librum esse Canonicum. In rebus ergo fidei, quæ sunt secundi generis, non est curandum in casu quæstionis testimonium populi rudis, idque maxime, si non sit consulenda tantum Ecclesia præsens; sed ad eam, quæ fuerat temporibus præcedentibus quæstio sit referenda. In rebus autem primi generis jure forsitan testimonium etiam populi postulaveris, quia earum fides æque ad minores pertinet, ac ad majores. Ita Canus, dubitans tamen.

XIII. Secunda vero pars asserti probatur ex illo Apostoli *Ephes.* 4. v. 11. ubi postquam dixit, *Deum dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, in ædificationem Corporis Christi*, rationem assignat dicens v. 14. *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Si ergo Deus cœtum Pastorum, & Doctorum in Ecclesia posuit, ne circumferamur omni vento doctrinæ, ne ab errore circumveniamur, dici debet, cœtum istum errare non posse collective sumptum. Si enim Pastores omnes collective, & Doctores errare possent, nec firma esset eorum auctoritas, quomodo populus* eorum dictis crederet? Si Doctorum cœtus ab errore posset circumveniri, multo magis id posset populus; dum enim Pastor per abrupta graditur, necesse est, ut per præcipitium grex sequatur. Si enim Christus nullum Ecclesiæ suæ dedisset Pastorem, quid esset de grege? atqui melius esset, nullos habere, quam errantes habere: si enim populus nullum pastorem haberet, aliqui forte errarent, alii non. At si errantes haberent Pastorem, his errantibus totus populus erraret. Faciamus itaque hunc casum, omnes simul Ecclesiæ Pastores in unam sententiam convenire, hancque populo rudi credendam proponere. Tunc rogo, an populus hanc sequi debeat, an non; si debet; cum errantibus ergo pastoribus plebs quoque errabit. Si non, quæ major in Ecclesia confusio? Circumferentur omnes omni vento doctrinæ, eruntque sicut parvuli fluctuantes. Si namque populus Sacerdotum doctrinam repudiaverit, cujus sententiam sequetur? Si salem abjecerit, in quo salietur? quos consulet pro veritate invenienda? interrogabit unumquemque seorsum, delirum senem, garrulam anum, sutorem indoctum, bajulum cauponarium? quid magis ineptum? interrogabit hos omnes in cœtum coactos de quæstione, at quid magis ridiculum, immo quomodo certus esset, in cœtu plebis idiotæ nullum subesse errorem, cum certus non sit, errorem non subesse in cœtu Sacerdotum, ac Pastorum? Quandonam ergo controversiæ finirentur? Quod ergo Christus dixit *Matth.* 23. v. 3. de Scribis, & Pharisæis, quia sedebant in Cathedra Moysis, *omnia quæcumque dixerint vobis servate, & facite*, multo magis dixit de Ecclesiæ suæ Pastoribus, ac Doctoribus. Sed his alia addemus, dum de Conciliis infra sermo erit.

§. III.

Solvuntur argumenta.

XIV. Objicies primo contra primum assertum. Ecclesia aliquando tota defecit; ergo potest tota deficere: ergo non erimus de illius auctoritate certi. Anteced. prob. Aaron Summus Sacerdos, aliique, sive majores, sive minores vitulum aureum adoraverunt: ergo Ecclesia Christi poterit eodem modo sculptile, & Imagines adorare. Id si faciat, ut facit, errabit sine dubio in fide, ac religione. Rursus Isaiæ, & Jeremiæ temporibus tota Ecclesia a vero Dei cultu lapsa est. Quid igitur prohibet, idem accidere posse Ecclesiæ Christi? antecedens probatur. *Isaias c.* 2. *v.* 3. *Cognovit*, inquit, *Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, & Populus meus non intellexit; & v.* 6. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Jeremias* autem *c.* 2. *v.* 26. *Quomodo confundetur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi, & Reges eorum, Principes, & Sacerdotes, & Prophetæ eorum: dicentes ligno, Pater meus es tu; & lapidi, tu me genuisti &c. v.* 29. *Omnes dereliquistis me. & cap.* 5. *v.* 1. *Circuite vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis Virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. v.* 4. *Ego autem dixi, forsitan pauperes sunt, & stulti, & ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui: & ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula*. Ergo omnes eo tempore, & Populus, & Optimates, & Sacerdotes, uno verbo, tota Ecclesia Israel tunc a Deo, & a Fide defecerat.

Respond. neg. antteced. Ad primam probationem multis modis respondetur. Primo certum est, nec Moysem, nec Josue, penes quos summa rerum tunc erat, in populi furorem, & insaniam incidisse. Secundo nec omnes, qui in castris remanserant, in flagitium consenserunt, præsertim illi, qui ad Moysi vocem surgentes, ultionem de flagitiosis sumpserunt: a Domino enim steciſse certius est, nec in scelere consortes fuisse, quos Dominus justitiæ administros in ultione esse voluit. Tertio Aaron nondum fuerat Sacerdotio initiatus, nondum superhumerale fuerat ei impositum, & rationale, in quo erat doctrina, & veritas, alligatum, & aptatum, ut legitur *Levit.* 8. *v.* 8. Quid ergo si Aaron, filiique ejus, nec Pastores populi constituti, nec Sacerdotes consecrati, in fide, ac religione errarint? Quarto Aaronis error, ut similiter Petri, & Marcellini, ex metu, non ex infidelitate, processit. Nihil ergo hoc argumento contra nos concluditur.

XV. Ad secundam probat. quæ erat unum ex argumentis Donatistarum, respondit jam S. Augustin. *lib. de unit. Ecclesiæ c.* 13. *& lib. post collationem ad Donatistas c.* 10. *quod more suo Scriptura loquitur, quæ sic arguit malos, tamquam omnes in eo populo mali sint; & sic consolatur bonos, tamquam omnes ibi tales sint*. Sicut ergo Paulus 1. *Corint. c.* 1. *v.* 2. scribens Corinthiis, eos primo appellat sanctos, divites in omni verbo, in omni scientia, & ita ut nihil illis desit in ulla gratia; & tamen cum inter illos aliqui essent Schismatici, qui Christum dividebant, aliqui non adhuc credentes resurrectionem mortuorum, & proinde indigne accedentes ad Eucharistiam, eos sic arguit, & increpat, ac si omnes hoc horrendo vitio inquinati essent, ut observat S. Augustin. laudatus *c.* 21. Ita Isaias, & Jeremias totum populum Israeliticum de relicto veri Dei cultu increpant: non quia nullus esset in toto populo, qui cultum veri Dei custodiret; sed cum multi, immo major pars, hoc crimine esset inquinata, adeo ut viri justi comparati ad illos, utpote pauci, essent quasi nullus: ideo sic impiis exprobrant, ac si omnes penitus impii essent. Quare dum ajunt, omnes, Populum, Reges, Optimates, Sacerdotes Deo terga vertisse, ly *omnes* non est (ut ajunt Logici) accipiendum cum distributione completa, seu pro singulis generum, ac si ex omni statu omnes; & singuli Deo terga verterint; sed cum distributione incompleta, seu pro generibus singulorum, quia ex omni statu Regum, Principum, Optimatum, Sacerdotum aliqui & quidem multi, immo pars major*, hoc flagitio laborabant: unde ex hoc non evincitur, ex tota Ecclesia Israel fidem defecisse. Quod autem hoc verum sit, Scriptura ipsa ostendit. Ezechiel eodem, quo Jeremias, tempore vaticinatus est. Quid dicat ei Dominus, audiamus. *Ezech.* 3. *v.* 7. *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me: omnis quippe Domus Israel attrita fronte est, & duro corde*. Quis credat in tota hac depravata domo aliquam partem non superesse, cui generalis illa sententia non conveniat? Sed audiatur quid iterum dicat Dominus (*Ezech. c.* 9. *v.* 4.) Ezechieli. *Transi per mediam Civitatem, in medio Jerusalem: & signa Thau super frontes virorum flentium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus*. Ergo non omnes in populi flagitium consenserant, non omnes erant attrita fronte, & duro corde, sed erant qui flagitia populi detestarentur, qui propterea signati Thau in fronte fuere, ut in cæde generali præservarentur. Rursus: *Salvum*, inquit David *Psal.* 11. *v.* 2. *me fac Domine, quoniam defecit sanctus, v.* 3. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum*. Ecce David quasi relictus solus totius humani generis culpas deplorat. Sed quid dicat illi Dominus, audiamus: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam*. Ergo adstant cum David socii gementes super cæterorum culpis; propter quos exurgere decreverat Dominus Deus, ad puniendos scilicet oppressores, & sublevandos oppressos. Elias item 3. *Regum c.* 19. *v.* 10. & 14. conquerens, ajebat, *derelictus sum ego solus*, ac si cæteri omnes dereliquissent Deum suum, & tamen ait D. Paulus *Rom.* 11. *vers.* 4. *quid dicit illi divinum responsum? reliqui mihi septem milia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*. Quod legitur etiam 3. *Reg. c.* 19. *vers.* 18.

XVI. Objicies secundo, ut simus certi de judicio, & auctoritate Ecclesiæ, debemus esse certi, quænam sit vera Christi Ecclesia; atqui certi non sumus, quænam sit Christi Ecclesia: ergo. Minor probatur primo; Ecclesia digito monstrari non potest: quomodo enim poterat monstrari Ecclesia Judæorum temporibus Eliæ, cum se solum relictum deploraret? Quomodo, cum Populus ille apud Babylonios, Persas, Egyptiosque dispersus sine Sacerdotio, sine Templo, sine Septro Gentibus, ac Diis alienis serviebat? An Christi etiam Ecclesia taliter obscurari non poterit, & occultari? Hilarii tempore Ariana hæresis omnia adeo miscuerat, ut credi quidem posset, sed non discerni. Quid quod sub diversis Pontificibus, schismate diu perdurante, nulla Ecclesiæ tuta facies apparuit? Quod si præteritis retro seculis vera Ecclesia resplenduit, quis certus est, eam perdurasse, & perdurare adhuc? Quis scit, aliquando non fore, ut ob eorum delicta Pastores omnes, & oves stupore ac cæcitate Deus percutiat? & quis certus est, hoc jam factum non fuisse? Id, quod de Orientali Ecclesia dicimus accidisse, cur de Occidentali accidere non poterit, vel forte jam non accidit? Ubi erit, & qualis Ecclesia illo tempore, de quo Dominus ait, *Luc.* 18. *vers.* 8. *Verumtamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Quis certus est, hoc tempus nondum advenisse? His hæretici quasi re confecta gloriantur.

Secundo probatur minor. Ecclesia ex solo prædestinatorum numero constituitur; sed soli Domino electorum numerus notus est; ergo. Major suadetur. Tum quia Petrus *epist.* 1. *c.* 3. *v.* 20. dixit, Arcam Noe Ecclesiæ typum fuisse; atqui in Arca Noe ii soli fuerunt, qui salvandi erant: ergo in Ecclesia &c. Tum quia Christus non est alterius Ecclesiæ Caput, nisi ejus, cujus est Salvator, & quam sibi exhibet gloriosam, ut ad *Ephes.* 5. *v.* 27. Tum quia ovile Christi nonnisi ex Christi ovibus conficitur; at oves Christi illæ modo sunt, de quibus ipse ait *Joann.* 10. *v.* 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis*.

Tum denique Ecclesiam constituunt filii Dei, eorum enim Ecclesia est mater, quorum Deus est pater; at filii Dei soli sunt, qui hæreditatem gloriæ sunt percepturi, dicente Apostolo Roman. 8. vers. 17. *Si filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, ergo &c.

Tertio prob. min. Vera Christi Ecclesia debet esse perfecta, tota pulchra, & sine macula. *Cant.* 4. *v.* 7. *Cant.* 6. *v.* 3. *Ephes.* 5. *v.* 27. *Immundus per eam transire non poterit. Isai.* 52. *v.* 1. atqui Ecclesia immaculata, vel fabulosa est, vel nobis ignota, ut Apostolus *Hebr.* 22. *v.* 18. & 23. innuere videtur, cum Ecclesiam Christi a Synagoga discernens, non eam sensibilem, & tractatam, sed spiritualem, & intractatam describit. *Non enim accessistis* (ait) *ad tractabilem montem, & accensibilem ignem.... sed accessistis ad Sion Montem, & Civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem &c.*

Tum etiam. Nam Ecclesiam, non quamlibet, sed sanctam, fideles tenentur credere; At in sancta congregatione non nisi sancti intelliguntur. Quod si mali Ecclesiæ membra sunt, non erit sancta; immo si mali membra Ecclesiæ sunt, membra etiam Christi erunt, cumque mali membra diaboli sint, iidem erunt membra Christi, & Diaboli, Cives Jerusalem, & Babylonis: quo quid absurdius?

XVII. Respondeo ad argumentum, neg. minor. Ad primam ejus probationem, quæ erat argumentum Donatistarum, respondet Augustinus *de Unit. Eccles.* cap. 16. *Non est autem ista opera, quia non est sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Et de illa dictum est*; non potest Civitas abscondi super montem posita. *Sed Donatistis operta est, qui audiunt tam lucida, & manifesta testimonia, qua illam toto orbe demonstrant & malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere*.

Eliæ etiam temporibus monstrari poterat; unde, ut dictum est supra, ostensa illi fuerunt septem millia virorum, qui non curvaverant genua ante Baal. Erat insuper in Jerusalem Templum Dei, erant Summi Sacerdotes, vera itidem erat de religione; ac lege doctrina, quamvis eam pauci profiterentur. Populo etiam inter gentes dispersso, aderant, qui eminerent pietate, ac religione Prophetæ, aliique populum eam docentes: non erat sacrificium, quia templum everſum erat Jerosolymitanum, in quo solo sacrificium offerre licebat. Quod si adeo publice, ut prius, cultum Dei non profitebantur: hoc erat, quia inter gentes captivi erant, ut hodie Christiani, inter Idololatras, & Turcas degentes, & Catholici in regionibus hæreticorum. Verum, ut bene advertit Canus *lib.* 4. *c. ult.* non bene sequitur. Si populus ille ita vacillavit, ut pene cecidisse videatur, Christi quoque Ecclesiam usque adeo obscurari posse, ut ejus species non effulgeat. Vetus enim Ecclesia, utpote quæ casura esset, ruinam sæpe minabatur; & maxime dum suo casui appropinquabat, sicut candela jam jam moritura, emicabat modo, modo occultabatur. De illa dictum non erat, ut de Ecclesia Christi: *Porta inferi non prævalebunt. Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Nec illi promissus fuerat Spiritus Sanctus, ut cum ea maneret in æternum.

XVIII. Quod opponitur de Hilario, oppositum fuit D. Augustino a Vincentio Rogatista, ut videre est *epist. clim.* 48. modo 93. *c.* 9. Cui Augustinus respondebat: Ecclesia *aliquando*

obscuratur quidem multitudine scandalorum....sed etiam tunc in suis firmissimis eminet.... Aliquando autem tribulationum fluctibus operitur, atque turbatur. Tale tunc erat tempus, de quo scripsit Hilarius: unde putasti infidendum contra testimonia tot divina, tamquam perierit Ecclesia de orbe terrarum. Potes hoc modo dicere, nec tot Ecclesias Galatis tunc fuisse, quando dicebat Apostolus: O stulti Galatæ &c. Sic enim calumniaris docto viro, qui tardicordes, & timidos graviter increpabat &c. Quis enim ille (Hilarii) *tempore obscuris verbis multos parvi sensus fuisse doluisse, ut putarunt, hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi crederent: alios autem timore cessisse, & simulate consensisse?... Quamquam & ipsi, qui tunc firmissimi fuerunt, & verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exultabant, quidam toto Orbe latitabant.... Hilarius ergo decem Provinciarum Asianarum, aut eizania, non tritticum arguebat, aut ipsum etiam tritticum, quod defectu quodam periclitabatur, tanto utilius arguendum putabat. Habent enim etiam scriptura canonica hunc arguendi morem, ut tamquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat.* Hucusque Augustinus.

Ecclesia ergo Catholica Hilarii tempore Arianorum fraudibus circumventa, adhuc, licet in paucis, eminebat, ac digito monstrari poterat. Et licet visa fuit mergi, & obscurari, clarior tamen emersit, & illuxit. Audiendus est S. Hieronymus adversus Luciferianos. *Ingemuit* (inquit) *totus Orbis, & Arianum se esse miratus est.* Infra: *Periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil jam superesse spei: Dominus excitatur, imperat tempestati; bestia* (Constantius) *moritur, tranquillitas redditur. Manifestius dicam. Omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis, ad Ecclesias redeunt. Tunc triumphantem suum Athanasium Ægyptus excepit: tunc Hilarium de prælio revertentem, Galliarum Ecclesia complexa est: tunc ad reditum Eusebii lugubres vestes Italia mutavit &c.* Non fuit ergo in tempestatibus submersa Ecclesia, jactata quidem, ac pene fluctibus operta, sed quo magis in ea tuenda remigantes laborabant Catholici, eo magis adspectabilem, & claram reddiderunt. Quod si de Ecclesia Romana loquar, ejus fides nunquam omnino latuit, sed toti semper Orbi fuit manifesta. Quod suo loco manifestius ostendetur.

Nec schismatum tempore periclitatur, aut occultatur Ecclesia, manifesta semper manet ejus fides, quamvis tunc Pastorum judicia, quia absque legitimo, vel certo capite, incerta sint

XIV. Ad id, quod additur, quod si Synagoga defecit, posset & Ecclesia deficere, nego assumptum. Synagogam namque defecturam Prophetæ testati sunt; At non sic de Christi Ecclesia, quam potius in æternum mansuram pollicitatione sua Christus firmavit. De Orientali Ecclesia: ejus a Latina pertinax defectio, abunde eam collapsam esse testatur: at Occidentalis adhuc magis resplendet, & quamvis Lutherus, & Calvinus eam obscurare conati sunt, eo fulgentiorem reddiderunt. Ad dictum illud Christi respondent Augustinus, & Hieronymus. Hieronymus quidem *Dialogo adversus Luciferianos*, Christus de ea fide loqui, *de qua ipse ajebat Matth. 9. v. 22.* fides tua te salvam fecit: *& alibi de Centurione Matth. 8. v. 10.* non inveni tantam fidem in Israel. *Et rursus ad Apostolos Luca 7. v. 9.* Quid timidi estis modicæ fidei? *nec non in alio loco Luca 17. v. 6.* Si habueritis fidem, sicut granum sinapis &c. *Nec enim Centurio, aut illa mulierculæ, quæ per duodecim annos fluxu sanguinis laborabat, in Trinitatis Sacramenta crediderant.... sed simplicitas mentis, & devota Deo sua anima approbata est.... hæc est fides, quam raro invenire Deus pronuntiavit: hæc est fides quæ etiam apud eos, qui bene credunt, difficile perfecta inventur.* Hæc Hieronymus, qui accipit fidem pro fiducia. Fiducia enim, ait *D. Th. 2. 2. q. 129. art. 6. in corp.* dicitur a fide: *ad fidem autem pertinet aliquid, & alicui credere.* Pertinet etiam ad spem, quia *nomen fiduciæ hoc principaliter significare videtur, quod aliquis spem concipiat ex hoc, quod credit verbis alicujus auxilium promittentis... Vel cum aliquis considerans, alium amicum suum esse potentem, fiduciam habet adjuvari ab eo.* Et hac fide, nimirum fiducia, Mulier illa, & Centurio accesserunt ad Jesum; & de hac Christus loquebatur, cum dixit, *Luca 18. v. 8. putas, inveniet fidem in terra?*

Eodem forme modo respondet S. August. *de Unit. Eccl. c. 15.* ubi post relata Christi verba: *Quod* (inquit) *nos intelligimus dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis est in hominibus, ut in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moyse, inveniatur aliquid, ubi trepidaverint, vel trepidare potuerint, vel per illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum &c.* Addit rursum *propterea enim tamquam dubitans hoc Dominus dixit*: Putas inveniet fidem in terra? *Cui utique cuncta scienti, & præscienti de aliqua re dubitare non convenit: sed illius dubitatio nostram dubitationem figuravit: quia propter multa scandala circa finem seculi pullulantia, hoc erat quandoque infirmitas humana dictura.*

XX. Ad secundam prob. nego majorem. Ad primam probationem dico, Arcam Noemicam adduci a D. Petro in typum Ecclesiæ, non quod omnes intra eam facti sint salvi, sicut omnes intra arcam salvi facti sunt a diluvio; sed quod Ecclesiam salvatur. Quapropter (bene advertit Canus citato loco) ne quis in hunc errorem incideret, ut putaret omnes, qui per Baptismum in Arcam Ecclesiæ transeunt, esse salvos, idcirco Petrus caute, & sapienter adjecit: *non carnis depositio sordium*, idest pura detersio corporalium sordium, per aquam Baptismi non salvat, sed *conscientiæ bonæ interrogatio*, idest quidem, qui per Baptismum Arcam Ecclesiæ ingressi sunt, salventur, sed si vitam ad normam Evangelii componant. Immo, si ad similitudinem Arcæ attendamus, potius colligitur oppositum. Primo, quia dicit D. Petrus, quod per Arcam pauci, idest octo animæ, salvi facti sunt; ergo dum subjungit similitudinem in Baptismo, eam inducit ad ostendendum paucitatem salvandorum. Secundo, quia S. Hieron. dialogo adversus Luciferianos. *Ut in illa* (*Arca*) inquit, *omnium animalium generis, ita & hæc* (*Ecclesia*) *universarum gentium, & morum homines sunt. Ut ibi pardus, & hœdi, lupus, & agni: ita & hic justi, & peccatores, idest vasa aurea, & argentea; cum ligneis, & fictilibus commorantur.* Hæc Hieronymus, qui in aliis pluribus Arcam cum Ecclesia ibi comparat; ergo Ecclesia non solos prædestinatos, & sanctos, sed fideles omnes, sive justos, sive peccatores concludit, si Arcæ cum Ecclesia similitudo attendenda est.

Ad id, quod secundo subjicitur, do antecedens, quod non est adeo certum. Nam Christus Angelorum Caput est, quorum non est proprie Servator, & nego consequentiam. Non enim valet: Christus est Ecclesiæ Salvator; ergo omnes, qui sunt in Ecclesia, salvat re ipsa, & quoad efficaciam eventus. Sicut enim dux diei potest vere servator Civitatis, etsi aliquæ Civitatis partes, & Cives pereant, si maxime pereant, quia volunt; ita Christus est vere Salvator corporis sui, quod est Ecclesia, etsi reipsa aliquæ partes ejus non solventur, quia nolunt. D. Paulus vero dicit, Christum seipsum tradidisse, ut Ecclesiam exhiberet gloriosam, non tamen dicit, in omnibus suis partibus. Sicut autem mortuus est, ut omnes viveremus, nec tamen vivunt omnes: sic se tradidit pro Ecclesia, ut eam mundaret, & glorificaret, nec tamen omnes, qui in Ecclesia sunt, mundantur, & glorificantur, suo defectu, non Christi.

Ad id, quod tertio dicitur, Ecclesia Christi est ovile, fateor: at in ovili non solæ sunt oves, sunt & hædi ovibus mixtis. Sunt etiam oves, quæ vocem Pastoris audiunt, & ipsum sequuntur; sunt etiam quæ ipsum non audiunt; sunt oves sanæ, sunt etiam infirmæ. Nomen ovis sæpe in Scriptura pro justis, & pro electis usurpatur, sed non semper. Quid enim illud Psalm. 118. v. 176. *Erravi sicut ovis, quæ perierat?* Quid illud Isaiæ 53. v. 6. *Omnes nos quasi oves erravimus?* Quid illud Psal. 73. v. 1. *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.* Quid illud Psal. 48. v. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt?* In Evangeliis Matth. 18. & Lucæ 15. habemus ovem errantem. Et *Matth. 15. v. 24.* oves, quæ perierunt domus Israel. Oves ergo, quæ veræ sunt Christi, quæ audiunt vocem ejus, sunt justi, & electi, & his dat vitam æternam; quod non tollit, quin in ovili sint aliæ, quæ fidem quidem habent, sed non audiunt Christi Pastoris vocem.

Ad id, quod quarto additur, dico, majorem veram esse, si per *filios Dei* intelligas eos, qui per baptismum Christo, & Ecclesiæ geniti sunt: sed in his sunt improbi quidam, & stulti filii, quos Patris, Matrisque cura parturire iterum gestit, donec formetur in eis Christus. Si vero intelligas tantum filios Dei, juxta frequentiorem scripturæ usum, eos tantum, qui probi, & sapientes sunt: certe non ex his solis conflatur Ecclesia, sed ex illis etiam, qui paternæ probitatis effigiem deleverunt: Nam, & in hos nomen *filii* quandoque diffunditur. *Numquid* (ajebat Moyses ad populum contumacem Deuteron. 32. vers. 6.) *numquid non ipse est pater tuus? & v. 20. generatio enim perversa est, & infideles filii.* Isaiæ 1. v. *filios enutrivi. & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Jerem. 3. vers. 14. *convertimini filii revertentes.* Hinc Cant. 2. v. 1. *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quod* (ait S. Aug. de unit. Eccles. cap. 14.) *de sancta Ecclesia dictum, omnis Christianus agnoscit... Unde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? & easdem, unde filias, nisi propter Communionem Sacramentorum?* Hinc non colligitur; filius est, ergo percipiet hæreditatem: nisi adjungas hoc, scilicet, & jus, quod accipit, non amisit. Videmus enim filios aliquando vere ac juste ob demerita exhæredari. Sed de hoc satis.

XXI. Ad tertiam probatæ minoris principalis respondeo D. Augustin. *lib. 2. retract. cap. 18. Ubicumque commemoravit Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, non hoc accipiendum est, quasi jam sit, sed qua præparatur, ut sit, quando apparebit gloriosa. Nunc autem propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum habet, unde quotidie dicat, dimitte nobis debita nostra.* Et lib. de perfectione justitiæ cap. 15. *Tunc plene* (inquit) *atque perfecte erit Ecclesia, non habens maculam, aut rugam, aut aliud hujusmodi, quia tunc etiam erit vere gloriosa. Cum enim non tantum,* (ait D. Paulus *Ephes. 5. v. 27.*) *ut exhiberet sibi Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, sed addidit gloriosam, satis significavit, quando erit sine macula, & ruga, aut aliquo hujusmodi: tunc utique, quando gloriosa. Non enim modo in tantis malis: in tantis scandalis; in tanta permixtione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum, dicendum est, eam esse gloriosam... mundat ergo eam nunc lavacro aquæ in verbo, abluens peccata præterita, & pellens ab ea dominationem malorum Angelorum. Deinde perficiens ejus sanitates: facit eam occurrere in illam gloriosam sine macula, & ruga.* Hucusque Aug. In hanc sententiam veniunt S. Thom. *3. p. q. 8. art. 3. ad 2.* Quin, & Hieronymus in *c. 31. Jeremiæ circa finem.* Eodem modo exponit idem August. allatum testimonium ex Isaia lib. cont. donat. post collationem cap. 8. *Quomodo ergo* (inquit) *testimonium propheticum, quod in sua responsione* (Donatistæ) *posuerunt, quod Ecclesia dilium est, non adjicit ultra per se transire incircumcisus, & immundus, ad hoc tempus pertinere intelligitur, quando Ecclesia ex tribus comparata est, quibus in mari adhuc positis pisces*

malos bonis permixtos, vel occultos esse confessi sunt? Unde manifestum est, nonnisi in futuro seculo post judicium nullum intercuncisum, & immundum per Ecclesiam transiturum.

XXII. Alia tamen via, & quidem probabiliter, sustineri potest, in citatis Scripturæ textibus sermonem fieri de Ecclesia, quæ nunc est. Hæc enim dici potest sancta, & immaculata, sine macula, sine ruga tum sanctitate sui conditoris Christi, & suarum legum: tum etiam aliquomodo sanctitate suorum membrorum. Sane in parvulis, & in adultis nunc primum per baptismum lotis sancta, & immaculata est. Est etiam immaculata in iis, qui legem observant, & si quandoque in venialia cadunt peccata, hæc purgare non negligunt; ut Augustinus ipse testatur *lib. de perfect. justitiæ c. 9.* hinc Psalm. 27. v. 44. *ero immaculatus cum eo.* Et quomodo? *& observabo me ab iniquitate mea.* Item Psalm. 118. v. 1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini.* Est ergo Ecclesia præsens immaculata prorsus quidem in aliquibus suis membris, ut in infantibus, & adultis nunc baptizatis; in aliquibus etsi non prorsus est sine macula, est munda a crimine, & culpa gravi, immo culpas etsi leves continuo abluere conatur, & tendit, ut aliquando prorsus sine ulla macula sit. Hanc solutionem sequuntur D. Hieron. *in epist. ad Ephes. cap. 5.* Gelasius Papa *in Decreto de Apocryphis*, Concil. Toletan. VI. *c. 1.* & D. Thom. *in epist. ad Eph. c. 5. lect. 8.* utramque amplectitur. Juxta hanc solutionem verba Isaiæ *non transibit per eam incircumcisus & immundus*, debent sic intelligi, ut incircumcisus, & barbarus populus non sit Ecclesiam oppressurus, quemadmodum opprimit, qui pede calcat.

XXIII. Ad id, quod additur, dico, nos credere Ecclesiam sanctam, quia omnes suos ad sanctitatem sui monitis, ac legibus perducere conatur. Sanctam insuper, quia omnes, qui vere & proprie ejus membra sunt, sancti sunt. Pro hujus explicatione noto, quod in aliquo toto aliud est, esse membrum, aliud esse partem: pars refertur ad totum, membrum vero solum ad totum, seu corpus animatum. Sic pars invenitur sine vita, ut in lapide, vel ligno; membrum autem sine vita nec concipi quidem potest. Sic improbi partes quidem Ecclesiæ sunt, membra Ecclesiæ, aut Christi non sunt; sunt autem Diaboli membra. At Ecclesiæ partes, & in Ecclesia esse censentur, quia facti per fidem baptismatis hujus Civitatis Cives, & huic adscripti, per infidelitatem ab ea non recesserunt. Cives ergo adhuc sunt, sed cives mali, & flagitiosi. Fide cives Jerusalem, opere cives Babylonis. Nec quod improbi in Ecclesia sint, ejus sanctitati præjudicat. Totum enim dicitur tale a partibus ejus præcipuis, ideoque cum viri probi, ac justi, qui Ecclesiæ partes, & membra sunt, charitate cum ea copulati, Sancti sunt, Ecclesia sancta ratione istorum dicitur, quamvis tolleret alias partes, non membra tamen, quibus nec vita inest, nec sanctitas. Ita ex Cano *laudato lib. 4. c. ult.*

XXIV. Attamen D. Thomas *3. p. quæst. 8. art. 3. ad 2.* dicit, peccatores & improbos esse membra Christi, non actualiter, quasi ab ipso vitam perfectam participantia, & simpliciter talem, sed esse membra Christi potentialiter: nisi *forte imperfecte per fidem informem, quæ unit Christo secundum quid & non simpliciter, ut scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiæ: fides enim sine operibus mortua est; ut dicitur Jacobi 2. Percipiunt tamen tales a Christo quemdam actum vitæ, qui est credere, sicut, si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine. Sicut enim,* (est doctrina ejusdem in 3. ferm. dist. 13. qu. 2. art. 2. quæstiunc. 2.) *in corpore naturali inveniturquadruplex unio membrorum ad invicem: Prima secundum conformitatem naturæ, quia omnia membra constant ex iisdem similibus partibus... sicut manus, & pes ex carne, & ossa: & sic dicuntur membra unum, sicut genere, vel specie. Secunda est per colligationem eorum ad invicem per nervos, & juncturas; & sic dicuntur unum per continuationem. Tertia est secundum quod diffunditur vitalis spiritus, & vires animæ per totum corpus. Quarta est secundum quod omnia membra perficiuntur per animam, quæ est una numero in omnibus membris. Ita ha quatuor uniones inveniuntur in corpore mystico. Prima est in quantum omnia membra ejus sunt unius naturæ, vel specie, vel genere. Secunda est in quantum colligata sunt ad invicem per fidem, quia sic continuantur in uno credito. Tertia est secundum quod vivificantur per gratiam, & charitatem. Quarta est secundum quod in eis est Spiritus Sanctus, qui est.... quasi anima in corpore naturali.* Subdit deinde *quod prima dictarum unionum non est unio simpliciter, quia illud, in quo est unio hæc, non est unum numero, sicut est in tribus sequentibus, quia per fidem, & charitatem in uno credito, & quanto secundum numerum uniuntur; similiter Spiritus Sanctus unus numero omnes replet.* Postquam autem dixit, infideles non pertinere ad unitatem Ecclesiæ, nec eorum Christum esse caput, *nisi in potentia, quatenus ei sunt unibiles*, si venerint ad fidem, de fidelibus peccatoribus subdit: *homines autem fideles peccatores pertinent quidem aliquo modo ad unitatem Ecclesiæ, in quantum continuantur ei per fidem, quæ est unitas materialis, non tamen possunt dici membra proprie, nisi sicut membrum mortuum, scilicet æquivoce.* Quia nempe eis deest gratia, & Spiritus Sanctus, qui est forma, & vita membrorum Christi. Sed hæc satis.

XXV. Objicies tertio. Duæ Ecclesiæ sunt, Græca, & Latina, cui ex his credendum erit? Si dixeris, Græcos esse schismaticos, idcirco apud eos Ecclesiam perisse, quia a Romano Pontifice descifcendo privilegium Ecclesiastici nominis amiserunt.

Contra est. Ex uno Pontifice Ecclesiæ nomen ac veritas non pendet, sed ex uno Christo, una Fide, uno Baptismate, ut ait Paulus ad Ephes. 4. v. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*; sed hæc omnia insunt Græcis qui unum Filium agnoscunt, unum Spiritum, unam fidem, unum Baptisma; in quibus etiam multi boni sunt; ergo &c. Secundo ante Christi Nativitatem una veterum omnium Ecclesia fuit; nec in ea tamen fuit unus Pastor, & Rector. Tertio, mortuo Pontifice nihilo secius Ecclesia una est, & tamen nunc sine Capite, ac Rectore invenitur; ergo ex hoc Capite visibili Ecclesiæ veritas non dependet; ergo arroganter Ecclesia latina Catholicæ nomen sibi usurpat; ergo nisi item cum græca sentiat, Ecclesiæ universalis auctoritate caret, nec tenemur ejus judicium revereri.

XXVI. Respondetur, optime, ac verissime dictum, apud Græcos Ecclesiam non esse, ex quo a Romano Pontifice schisma fecerunt. *Primacus Petro datur* (scribebat D. Cyprianus *l. de unitate Ecclesiæ* Novatiano, qui a Cornelio Romano Episcopo schisma fecerat) *ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.... Hanc Ecclesiæ unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesia reniititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Ex uno ergo Rectore nomen, & unitas, ac proinde Ecclesiæ veritas pendet; non enim potest esse unus Christus, una Fides; unum Baptisma, nisi unus sit spiritus, teste Apostolo laudato. Unus autem spiritus non est, qui ab Episcopatu, qui unitatis tessera est, schisma facit. Prosequitur Cyprianus: *Quando & Beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat, & sacramentum unitatis ostendat, dicens: Unum corpus, & unus spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum, atque indivisum probemus.* Porro hujus unitatis originem ex D. Petri Cathedra sumendam esse, jam docuerat dicens: Christus *ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur &c.* Græci ergo, qui ab obedientia Petro debita, ejusque successoribus recesserunt, ab unitate, & consequenter ab Ecclesia recesserunt.

Nec proinde tantum schismatici sunt, sed etiam hæretici; tum propter alia, quæ negant: tum hæ præcipue causa, quod inficientur, unum totius Ecclesiæ Pastorem esse a Christo in B. Petro institutum. Sed hoc importune hic agitur.

XXVII. Ad secundam probat. nego antecedens. Immo retorqueo argumentum. Ex quo enim apud Judæos forma regiminis per Moysem institutum fuit, semper usque ad Christum extitit unus Summus Sacerdos, ad quem, ceu ad Supremum Caput, & Judicem omnes causæ deferrentur, ut fatetur Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 6. §. 2.* & Bellarmino referente *lib. 1. de Rom. Pont. cap. 9.* etiam Centuriatores Magdeburgenses: ergo cum ea, quæ in veteri Lege contingebant, essent figura eorum, quæ in nova futura erant; sequitur, in nova lege dari debere unum totius Ecclesiæ Pastorem Supremum, ad quem omnes causæ Ecclesiasticæ referantur, & qui in negotio religionis omnibus præsit.

Ad tertiam dico: mortuo Summo Pontifice, unam sine dubio Ecclesiam manere, quia licet tunc non habeat unum Pastorem de facto, servat ordinem ad illum habendum. Manet etiam in ea spiritus veritatis: at si controversiæ fidei, & religionis pro eo tempore oriantur, Ecclesiæ judicia sine Capite in terris non adeo certa erunt. Quæ persequi hujus loci non est.

XXVIII. Objicies quarto contra primam partem secundi asserti. Si standum esset auctoritati Ecclesiæ, maxime Ecclesiæ Catholicæ; sed hæc modo non est: ergo Ecclesia, quæ modo est, non est indubitæ auctoritatis. Minor probatur, Catholica Ecclesia ideo vocatur, quia per omnes gentes, & per totum Orbem diffusa est, ut contra Donatistas ostendit D. Augustinus tum *lib. 2. contra Petilianum c. 38.* tum *lib. 2. contr. Gaudentium c. 2. lib. de unitate Ecclesiæ cap. 2.* & alibi passim: atqui Ecclesia diffusa per totum Orbem amplius non est, cum in angulum Europæ redacta sit, Mahumetana secta totam fere Asiam, & Africam occupante, & partem etiam Europæ, cujus non modica pars hodiernis hæresibus infecta est; ergo &c.

Respond. neg. min., ad ejus prob. concedo maj. Nomen enim græcum *Catholon* idem est latine, ac *secundum totum*, unde, ut ait August. laudatis locis, Ecclesia dicta fuit Catholica, eo quod ejus doctrina prædicata sit in toto Orbe, non tamen ita, ut sola semper occupaverit, & occupet totum Orbem, sed ut sit illa, cui oportet, ut credant omnes gentes. Unde D. Augustinus *epist. 80.* nunc 199. ad Hesychium cap. 12. *In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet, ut sit; non ut omnes, qui ibi fuerint, credant, omnes enim gentes promissa sunt, non omnes homines omnium gentium: non quim omnium est fides.* Cum ergo Ecclesia, quæ modo est, sit illa eadem, quam Christus fuisse prædicari per totum Orbem, quamque omnes amplecti tenentur, licet non omnes eam amplectantur, revera Catholica dici debet, & est. Rursus nomen Catholici, teste Vincentio Lirinensi *Commonitorio 1. nu. 2.* dicitur ub universitate nedum hominum, & locorum; sed etiam doctrinæ. Quod enim ab omnibus, ubique, & quovis tempore creditum est, & creditur, id vere dogma Catholicum nuncupatur, & quæ hujusmodi dogmata profitetur, ea vere Catholica Ecclesia est: *in ipsa item Catholica Ecclesia* (ait Lirinensis) *magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc enim vere, proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratique declarat,*